



R. H. C.


Y. S. a.

Im. 129.



59





Nicolai Leutingeri
DE MARCHIA
BRANDEBURGENSI
eiusque statu, Burggravijs Norin-
bergensibus, S. Romani Imperij
Principibus Electoribus &
Marchionibus Bran-
deburgicis,

COMMENTARII

Pars Secunda.



WITTEBERGAE,
Excudebat Matthæus Welack.
Anno M. D. LXXXVIII.

DE MYSIS
GEORGIUS FABRICI-
VS CHEMNICENSIS EX EPI-
grammate Philippi
Melanth.



Hius homo Mysos cultores prodit
dit esse
Iustitiæ, qua nil pulcrius orbis
habet.

Testaturque acres homines bellique peritos :
Quantum ornant fortes pectora iusta viros ?
Hæc gens Arctoæ ductorem puppis amico
Accepit tractans comiter hospitio.
Ac licet in peius mutentur tempore mores,
Hæc virtutis habet semina prisca tamen.
Præterea adiunxit Musarum dona, studetque
Mandatis summi nunc sine fraude Dei.
Mysam igitur gentem cœlestia Numina seruent,
Ingenuos mores quæ studiosa colit.

Philip. Melanthon.

Hermunduris tribuit iusticiam & humani-
tatem Tacitus, inquit, Romanos non
grauatim permisisse, ut in media prouincia
Rhetia sine custodibus negotiarentur. Itaque
sunt laudandi Mysi nostri, quod Maiorum su-
orum disciplinam imitantur.

PRV.

PRVDENTISSI-
MIS VIRIS, SAPIEN-
TIA, DOCTRINA, VIRTUTE,
& generis dignitate Clariss. Dn.
Coss. & Senatoribus Urbis
DRESDAE, &c. Dominis S.
obseruandis.

M. NICOLAUS LEVTINGER. S.

Mirum fortassis vobis, Viri
præstantissimi, accidit, quod
historiam Marchicam sub ve-
stro nomine in publicum emittam: Sed
mirari tum desinetis, cum consilij mei
singularis rationes graues acceperitis.
Nihil hic aspergam de vtilitate histori-
æ, quæ per se aliàs vniuersos et singu-
los bonos delectat & instruit, quamuis
hæc quoq; causa esse posset. Cum enim

X 2 cer.

PRÆFATIO.

certum sit, quò quisq; est naturæ præstantioris, ut eò magis hac cogitatione afficiatur, vobis qui facile alios præcellitis donorum ingenij & animi ornamentis, & de hoc meo conatu rectè iudicare potestis, hoc meum institutum ingratum futurum, nequaquam existimo. Et quis sanè liberalioris ingenij respueret id, quod beneficium, officium, et voluptatem non sine recreatione præstaret: Impossibile est omnes oculis omnia perlustrare, vel factis reque ipsa experiri, vel tandem memoria animoque tenere, quæ in historiarum speculo proponuntur: Et tamen ea scire pulcrum est, & utile, & iucundum. Debetur igitur gratia illis, qui hæc monumentis comendant, plurimosque labore immenso, sumptu, molestia, & periculo

suble-



PRAEFATIO.

subleuant, ἐπιπράγματα quasi exhibentes, quod multorum annorum tempus requirebat: Paucis hinc horis amplissimos principatus, maxima regna percurrere licet, & inquirere, quid hinc, quid illic agatur: Imò, quò aliàs nequam aditus pateret, ea spontè se aperiant, & secreta intimaquè demonstrant, quæ aliàs obuia non fuissent.

Inde rerum gerendarum documenta optima petuntur, ut lector non solum alterius rationes, consilia, & machinas percipiat, sed etiam quid gratiam, opè & beneficium parere, quid quemq; aduersus nos mouere, quid ad misericordiam, indignationem, iustitiam, & equitatem impellere possit, probè discat. Quæ omnia & publicè & priuatim

X 3 pluria

PRAEFATIO.

plurimum in vita mortalium momenti habent.

Ego quidem, etsi Italiae & Galliae partem, Angliam, Suetiam, Prussiam, & vniuersam pænè Germaniam, præcipuas aulas & Academias Collegiaquè, cum aliquo numero diligenter & laboriosè, non pererrandi sed indagandi studio perlustrauerim: Historiographis veteribus & recentioribus maximam gratiam habeo, & fateor libenter, me egregiè ab illis adiutum in rectè & honestè viuendi norma, mihiquè nihil perinde iucundū, nihil æquè volupè esse, quàm secundum Bibliorum lectionem in istorum pagellis nocte diequè hæerere. Petant alij ex collectis aureis suas voluptates hæ meæ sint delitiæ.

Hoc

P R A E F A T I O.

Hoc naturæ impetu patriam de-
scribere aggressus sum, quâ libris XX.
absolvere constitui.

Ex his quosdam iam editos quibus-
dam Marchiæ ciuitatibus nuncupau:
Quibus cum alij submittendi essent in
lucem, eos nemini rectius, quàm V.P.
deberi iudicau. Quæ enim Misniæ cum
Marchia hodie sit coniunctio, cui est ob-
scurum? Et sanè, quàm diu hæ inter se
conglutinatæ fuerint amicitie vinculo
regiones, non solum pax his terris, sed
vniuersæ Germaniæ effulgebit.

Pertinet huc ius illud hæreditari-
um inter Saxoniam, Brandebur-
gicam, & Hassiacam familias, anno
Christi M. CCCC. LV II. consensu Fri-
derici III. Imp. cū Alberto Brandebur-
gico quem Germanicū vocant Achillē,

X 4 Jan.

P R A E F A T I O .

sanctū, quod anno LV. per illustrissimum Principem Augustum Sax. Electorem, sanctissimæ memoriæ, & per illustriss. Principem Christianum Electorem, qui hodiè rerum in Misnia potitur, superiore anno Numburgi in solenni conuentu renouatum: In quo cauetur lege inuiolabili, & sub iuramenti formula, vt pax perpetua inter has adlatur familias: Tempore belli mutua in hostem, excepta Cæsaris Maiestate, auxilia subministrent: Quod si Saxo, yq̄ omnes, ad quos ius successionis in Saxonia pertinet, sine prole mascula decedant, ad Landgrauios Hassiæ iure hereditario Saxonia, coniunctæq̄ prouinciæ deuoluantur: His quoq̄ deficientibus, vt tunc familia Brandenburgica, huius nempe, cuius modò est stirpis, legitimè succedat.

Vnde

P R A E F A T I O.

Vnde facile apparet, quanta sit Mis-
nia cum Marchia coniunctio: Ut non
dubitem, eo quoque nomine hanc vobis
historiam iocundam futuram.

Propter eam coniunctionem, non
solum quia sanguine ac iure heredita-
tis atque fraternitatis sibi inuicem ha-
ditiones deuinctae sunt, sed etiam, quod
vicinae finibusque & limitibus inter se
attingunt, toties Misnense & Saxo-
num nomen propter matrimonia inita,
communicationem animorum & consi-
liorum, ob res controuersas, aliaque mul-
ta in singulis pagellis occurrit, vbi ve-
stra decora, facta ornamentaque diligen-
ter recensentur.

Quae vbi legeritis, facile me vo-
bis quamuis iratis, modo equis, concilia-
bunt, efficientque, ut hi conatus vestrum
fauorem mereantur.

A 5

Agnosco

PRAEFATIO.

Agnosco etiam me gratitudinem debere terræ Misnensi. Quidquid enim in antiquitatis cognitione, cuius fundamenta Misene in Ludo illustris ieci, profeci, id me illi debere libenter agnosco.

Nam cum annorum XIII. puer à patre meo per illustriss. principes Brandenburgicos commendatus illustriss. Sax: Electori Domino Augusto &c. sanctiss. memoriæ, essem in istum ludum deductus, sub Georgio Fabricio Magistro, omnis antiquitatis peritissimo, cupiditate huius studij flagrare cepi, ut valetudinem bonam propemodum omnem in discrimen extremum vocassem. Et ne nunc quidem nisi cum voluptate illorum temporum meminisse possum.

Tra-

PRAEFATIO.

Schola Myn.

Tradebantur ibi exactè Philo-
sophia artesq; cum tribus linguis, inci-
tamenta quoq; ad virtutem erant me-
diocria. Summum ocium, summa se-
curitas, vt nec sciret iuuentus aliud
quam literas, quàm bene agendum, de
reliquis aut parum aut nihil sollicita.
Victus erat hora consueta, amictus
singulis annis paratus, si quid deesset
de eo redè & oportunè prospiciebatur.
Aegrotantibus maturè succurrebatur,
singulis sua erant conclauia cum ne-
cessarijs. Discipulorum inter se officia
mutua, amor mutuus, perpetuaer-
ga Professores reuerentia, vt nesciam,
an aliquid ad felicitatem illam, quam
sibi φιλομαθῆς optare debeat, accessio-
nis fieri possit. Post Sexennium ad A-
cademias dato in aliquot annos stipen-
dio

P R A E F A T I O .

pendio mittebantur. Quid dicam de doctissimorum virorum corona, quibus præerat Georgius Fabricius Rector morum & doctrinarum, veriusq; ingeniorum Faber, quam ille Stapulensis in Gallia, qui in omni doctrinarum genere ad docendum creditus est aptissimus.

Summum profectò ingenium, indefessum studium, eruditionemq; incomparabilem ostendunt monumenta partim edita, partim nondum absoluta, & quæ reseruantur in Bibliotheca antiquitatis, elegantia & doctrinae eruditiss. nomine clarissima, cui præpositus est Petrus Albinus Historiographus Saxoniae.

Fateor pro hoc beneficio me uniuersæ Misniae gratum debere animum

P R A E F A T I O.

num, quem equidem, quo ad vixero,
fideliter præstabo, cuius documenta in
his etiam commentarijs satis perspicua
videre licet.

Vobis autem P. C. præ omnibus
alijs hæc mea studia offero, quando
quidem vestram humanitatem ita
probatam habeam ab eo tempore, quo
ciuitatem vestram vidi, vt vel hodie
eius recordatione reficiar. Quàm vel-
lem vbiq; sic omnia atq; apud vos ad-
ministrari, quàm optandū esset, studia
apud omnes in eodem honore & pari
precio esse. Pergite, vt soletis, Viri
laudatissimi, vera gloria non ex pe-
cunijs collectis, sed ex virtute proue-
nit. Ea humanitas non mortalibus so-
lū est admirabilis, sed & apud Deū im-
mortalem præmia habet paratissima.

Neq; dubito, V. P. in hac quoq; mi-
hi par.

PRAEFATIO.

hi parte, ut cepit, benignè affuturam, ut, cum Marchia annales idoneos nullos habeat, vel si habuit, temporum iniuria perierint, interim autem apud vos quaedam diligentius annotata intelligam, quandoquidem nullum in me studium desiderari, & his commentarijs ad Vestrum Archiuum mihi adiutum parare voluerim, hoc meam operam approbetis, vestroq; favore, consilio, & auxilio inuetis. Nouum non est, ab exteris patria petere monumenta, in eaq; laude praestatis nostrates. Confido etiam me, sicut potestis grauiter, propter ingenij excellentiam, iudicij acrimoniam, & rerum vsum non solum de repub sed vestra etiam ciuitate prolixè monituros. Quae omnia hac dedicatione, qua debeo reuerentia, peto, spero, & exspecto.

Accipite

PRAEFATIO.

Accipite itaq; hilari & fauente animo, viri praestantissimi, hanc meorum commentariorum partem. Ego quidem patronos meliores me inuenturum dubitabam: Is, in cuius manus sunt omnia, faxit, ne mea me opinio fefellerit.

Polliceor vobis, me bona fide humanitatem vestram virtutemq; praedicaturū, daturumq; operam, vt intelligatis, beneficium vestrum qualecunq; in virum bonum fuisse collatum: Et cum Misnia suos habeat aliās admiratores & laudatores, vestrarum ego laudum praeco ero studiosissimus. Sic enim vos cognoui, sic haecenus praedicaui vestram rempub. illam tandem felicem esse, quae tales habeat gubernatores, qui vel ipsi sint docti, aut doctos honorent atq; ament.

PRÆFATIO.

Quidquid feceritis pertinet ad gloriam Dei, quæ per hos meos conatus non parùm illustratur: virtutis incrementum, quæ hac prædicatione crescit, non aliter, atq; solent hoc tempore arbores: patriæ ornamentum, quæ quamvis satis sit laudata, admiratores tamen suos per omnem posteritatem habebit, & vestram tandem laudem, cui unusquisq; consulere rectius debet quàm fortunis suis. Et quid honestius est, quàm tales conatus iuuare. Quod reliquum est, V. P. Deo opt. Max. commendo. Vitebergæ IX. Martij, quo die Phocion de Atheniensibus optimè meritus in gratiam Cassandri iniuste damnatur & veneno necatur. Anno Christi. M.D. LXXXVIII.

ANDREAS PRÆTORIVS, S. THEO-
logiæ Doctor, Pastor & Rector Academia Francofor-
dianæ clarissimo viro M. Nicolao Leutingero
amico suo cariss. S.

Litteræ tuæ, doctissime LEVTINGE-
RE, frater in Christo carissime, à fra-
tre tuo mihi sunt redditæ, & tibi gra-
tulari in omnibus, quæ mearum sunt
virium paratus sum: Quamuis negotio-
rum multitudo & valetudo adversa vix
finunt. Præter alios enim labores quos
ex officio pro Ecclesia & Repub. susti-
neo, magistratum quoq; scholasticum
gero, & corpore ita sum imbecilli, vt
vix scribere possim. Forsan hic est ex-
tremus vitæ meæ actus. Te ab eo tem-
pore, quo inter nos notitia & amicitia
primū esse cepit, semper dilexi, & vt scis,
non in aula tantum, sed etiam apud ad-
versarios constanter defendi, quin &
nuper quosdam ita repressi, vt cum pu-
dore intelligerent, quale meum esset de
te iudicium. Eius quoq; nunc sum an-
imi, et in posterum ero, eò quod de te
præclaram spem concepi, quod Ecclesi-
am Dei & patriam multum iuuare & or-
nare possis. Et nunc te amanter hortor,

X

ne in

ne in hac temporū et hominum iniuria
in proposito remissior agas, sed quāto
difficūltas tibi maior obijcitur, tantō
magis virtutum alis ad fastigium gloriæ
conscendas, quō te Deum quoq; ipsum
in hac fortuna vocare video. Is enim pri-
mū mortificat, quem vult viuificare, &
prius humiliat, & ad inferna ducit, quem
vult exaltare. In patria Propheta non est
acceptus. Sic fecerunt Apostolis, sic
Christo ipsi, sic semper mundus ingratus
suos fastidiuit. Te etiam Domini cru-
cem ferre oportet, si verē Christum se-
queris, sed cuius merces in cœlis glori-
osa est. Itaq; spera in Deum, viriliter age,
conforta cor tuum, commendans ipsi
viam tuam, qui faciet, & prosperabun-
tur omnia. Quæ scribis de editione com-
mentariorum tuorum Marchiæ, laudo &
approbo. Vtinam verō tandem promissis
stares, & quod dudum pollicitus es,
re ipsa exhiberes, vt autem facias ne te
amplius moneri patiaris. Si hominum
ingratitude mouet, nimis es meticulo-
sus, nec ego te satis noui: Si alia impedi-
unt, nimis parum bonorum studijs tri-
buis. Noli igitur diutius in te desiderari,
quod

quod sponte in gratiam patriæ facere de-
bebas, neque dubita, te bonis omnibus
rem gratissimam facturum. Aliorum le-
uissimorum iudicia nos parui pendere
oportet. Quæ te vidisse in Anglia nar-
ras, dolorem meum auxerunt, cætera
me multum recreârunt. Tandem quæ pe-
tisti ob signata tibi mitto, faxit Deus o-
mnipotens, vt in nominis sui glor. ce-
dant, Tu pro me, mi Leutingere, orabis,
& de me tibi omnia polliceberis, quæ
possibilia erunt. Recte vale. Francoforti
die XXVI. Nouemb. Anno 86.

M. ARNOLDVS BIERSTEDIVS CON-
SVL GARDLEGIENSIS M. NICOLAO
LEVTINGERO, viro, *Doctrina, sa-*
pientia & pietate prastanti, amico suo
carissimo. S.

Philippus Melanchthon Brettigenus, Phi-
lander Megalandri Bestiocidæ Phoenix Ma-
iorum Beatus, πανφιλήτατη illa μέλιωα
θεοτῶν, hac vltima mundi vlcerosi & cada-
uerosi ætate, gratis in saltibus omni ratione
temporum puro ore libans, cuncta viro-
rum sapientum abdita, conditione rerum can-
dido corde hauriens, singula veterum scripto-
rum, modo causarum, κεφάλια, cum vero in-
tellectu, diligentia vera inquirens, industria in-
defessa

defessa perquirens, & fide debita acquirens: με-
 λιτουεγίαρ optimam τῶν ἰσορῶν præcipuarum
 congerendo congersit, mellificium iucundissi-
 mum τῶν χρῶνων stipando stipavit, & fauū
 vtilissimum τῶν ἰθῶν, multis annis à nostratib.
 desideratum, vsque ad Fridericum II. Imp. absol-
 uendo (vt ipse D. Gasparus Peucerus gener Phi-
 loMelæ doctissimus, ægrè manum πανσοφω-
 τάτῳ Apellæo operi sæpius rogatus apposuerit)
 tandem absoluit, quò gratæ, fideles & piæ con-
 similes apiculæ chronologicæ, ex hac Melan-
 thonia μελίτῃ, ape Attica prognatæ, ab illa e-
 ductæ, ab eadem edoctæ, conformia hexagona,
 si non æqualia, tamen æmula, studiosè constru-
 re, laboriosè efformare, in initio incalescendo
 studeant, in cursu feruescendo contendant, in
 meliturgia absoluenta animando elaborent.

Quia hoc Phoenice Germaniæ, cum Eccle-
 siæ Megalandro Antichristicida, foelici partu
 nato, vera ætas aures verbi Dei, & artium utili-
 um redijt, hoc Luthero theandro, τῶν λόγων τῆς
 χάριτος constanter contra portas inferni docen-
 te, illo Melanthonē μεγάλῳ, τῶν λόγων τῆς
 ἀρετῆς fideliter contra schotica scholastica, in
 officina scholastica, in officina scholastica so-
 nante, repetente, & defendente. Quare Deo
 dante, iuuante, benedicente, Ecclesijs rectè con-
 stitutis, scholis bene informatis, & politicis in-
 desideratum portum deductis, singulari indu-
 stria huius nostri Philothei Melanthonis γηρόσ
 ΚΟΥΤΟΣ

ροντος, καὶ πολλὰ διδασκομένους, historiarum
 doctrina utilissima, legendorum idolomania
 tristis, nausea obducta, docentium inscitia se-
 pulta, & discipulorum inutili mole oppressa, reui-
 rescendo refluuit, ut, iam hoc boreali & ἑπιθου-
 μιτικῷ seculo, ex huius augusti ποίμενος pratis
 amœnissimis, & foecundissimis, unusquisque
 sibi flosculos commodos rectè accipere, succum
 utilem verè elicere, & fauim expectatum, pro
 materiae utilitate, utiliter acquirere possit. Hunc
 verò suum μελιτοῦργον præceptorem, post su-
 nera eius etiam sacra, anima inter ἀγίους ver-
 sante, uti omnes grati Theodorophili cum pro-
 pter rerum diuinarum, humanarumque raram
 cognitionem, tum propter scripta eius metho-
 dica singularia, apud omnem gnatum gratam
 posteritatem, cui lampades traditæ sunt curæ,
 lectu dignissima, verè agnoscunt, & iuste præ-
 dicant: Ita ætate nostra inuida, omnium actio-
 num humanarum præteritarum, & futurarum,
 Philalatheës scrutatores Melanthonij æqui iu-
 dices, Phœnices censores huic ἰσορροπία,
 εὐσεβείᾳ, καὶ ἐσμωευτικῷ palmam debitam,
 honestè offerre, modestè porrigere, & subiectè
 concedere, inuiti coguntur. Quare Nicolae
 doctissime, Leuvingere amantissime, & vir vie-
 gilantissime, quod ad tuum omnibus modis
 promouendum studium, in Marchia Brande-
 burgensi describenda, & exornanda attine-
 literis tuis humanissimis ad nostrum i

& doctum senatum, calendis Aprilis nuperi-
 me datis, intelligo te fidelem, constantem & pi-
 um æmulum esse Melanthonium, in Chroni-
 co quodam particulari de Marcha Brandebur-
 gica conscribendo, vt quod ille scholarum Ger-
 manicatum Atlas fidelissimus, ἐν τῷ ὅλῳ cum
 gratiarum encomijs præstitit, tu pro concessio as-
 se, ἐν τῷ μέρει, dum patriam publicis scriptis il-
 lustriolem reddis. (vti omne natale solum dulce)
 pro tua vera ἐλευθέρα Leutingiaria, nunc magis
 honestè conaris, & rectè eniteris. Te enim hoc
 ἔργον optimam, κατὰ ἡμέρας ἡμέρων, vti δευ-
 τέραι γοντίδες, cum immortalis gloria tui patrij
 soli, cum diu desiderata exoptata vtilitate poste-
 rum, cumque tui nominis debito auctamento
 perficere, & viginti libris absoluere posse, & do-
 ctissima ipsa dispositio, & libri tui κατὰ ὕστερον
 πρῶτον more poetico editi, Xenophonteam
 suauitatem sapientes, Thucydideam neruosita-
 tem redolentes, Melanthoniam pietatem refe-
 rentes, luculenter docent. Nam Iohannis paræ-
 netica oratio ad Ioachimum I. septem virum, de
 fascibus paternis imperij cum inuocatione acci-
 piendis, cum timore Domini administrandis, &
 cum paternitate deponendis, ipsius Cyri exhor-
 tionem ad Cambysem apud Xenophontem,
 Regiam, cum pietatis stimulis, paternitatis a-
 nimæ veræ fidei ἀληθοφροσύνη, multum su-
 Albertini Moguntini Nestoreus ser-
 uum V. Imp. de ipsius cum bellica
 uoluntate, Thucydideam suuilo-
 queu-

quentiam, vero sine monstrato veræ pacis, facile
æquat. Tandem libelli isti, sic Philippæa dulcedi-
ne iurgent, Melanthonia pietate enitent, Philo-
Melæ Germaniæ flexanima voce demulcent, ut
ipsius sacrum os sonare, & resonare videantur.
Cùm verò carissime & optime vir, præsens
Marchiacum opus, Deo dante, iuvante, & guber-
nate sis ingressus, sæpius tibi ad archiuas genuinas,
nostri clementissimi Principis, Iohannis Georgij
verè Augusti γεωργῶς de quo illud electorale ve-
rū ἀγαθὸς βασιλεὺς οὐ διαφέρει ἀπὸ τῶν ἀγαθῶν
πατρῶος, fideliter recurrendū, quo in negotio, fide
& opera D. Lamperti Diestelmeieri, in aula no-
stri Patris patriæ, Cancellarij dignissimi, commo-
dè uti, & frugaliter frui poteris, nam huius viri
πανσοφιάτης uti iudicium graue, experientia
singularis, fides experta, ita mens beneuola, a-
nimus promptus, consilia eiusdem matura, &
κοινώνικα, cuius ædes, ut oracula Apollinis, patet.
Quod verò ad meam dulcissimam pertinet patri-
am Gardelegiam, vsitatos locos more docentiū,
concessis pro minutijs mihi, sequar: de antiquita-
te, origine, situ, vicinia, figura, partibus, fontibus,
mōtib. agris, qualitate soli, aëris, morib. incolarū,
politia, Ecclesia, Schola, actis, gubernatorum suc-
cessione, & alijs necessarijs, vtilib. & gratis, agam,
dicam, & referam, quæ ad patriam solum nostra
ætate ampliandum, & illustrandum attinent, ut
deinde, quæ ad nostros focos spectant tecum, &
cum alijs, qui easdem bigas tecum trahunt com-
modè conferre, placidè colloqui, & vtiliter con-
ferre

ferre possim. His in C. Iesu Iſſanuele, in quo sumus, viuimus, & morimur, semper valeto. Datū Gardelegiæ anno Saluatoris 87. die 16 cal. Maij.

IOHANNES SCHOSSERVS ACADE-
mie Franc. Professor pub. viro clariss. M. Nicolao Leu-
tingero P.L. amico & fratri suo. S.



Um te Marchia luce turbulenta
LEVTINGERE decus politioris
Artis, atq; pater scientiarum,
Primum conciperet, magistra rerum
Clio, Fors & Apollo consecratus
In certamina venerant petentes
A magno Ioue conditore vitæ
Donari sibi, quidquid edidisset
Partus sidere difficilliore.

Hoc vobis animo quidem benigno,
Inquit Ioua, dabo, sed vt seueram
Frontem Fors aliquantulum remittat,
Nec crudelius insequaris illud.
Crebrò causa boni meis fuisti,
Cum non es facilis, nimis nec agra.
In rebus modis omnibus serenat.
Sic vti poterit fruiq; longum
Clio, sic & Apollo vulneratis
Neruis à patrio solo mederi:
Sic vatem monumenta sempiternis
Quæ sunt nominis inferent Olympo.

Hic Fors: efficiam pater quod æquum est;
Multum nanq; secunda dehonestant,
Nec florere sicut nimis sinistra.
Hinc per me bona gloriamq; habebit:
Laudem dura dabunt, opesq; leta.

NICOLAI LEVTINGERI
DE MARCHIA
BRANDEBURGENSI
eiusque statu IOACHIMO I. IOACHIMO
MO II. & IOHANNES GEORGIO
Princ. Electoribus Brandeb. com-
mentariorum Partis II.

LIBER PRIMVS.

Iustis funebribus Lenini, ut
voluerat, patri persolutis, Io-
achimus I. Princeps populorum
fidei suae astringit, & partitis
cum fratre Iohanne gubernationis labori-
bus, ipsi ditiones trans Viadrum & Suenū,
& Marchiam nouam, partem Lusatiae, &
Ducatum Crosnensem concedit, reliquas
sibi seruat, & simul dignitatem Electoris
Sacri Rom. Imperij assumptam usurpat.
Circa quod tempus puella Lebusiana à Dia-
bolo obsessa Francofurtum aduēta fuit,
ac multis spectaculum & admirationem
præbuit. Erat autem præcipua adhuc in
Academia & urbe apud pontificios aucto-
ritas, ex quorum iudicio sacrificulus quis-
dam accersitus eò venit, istud inferorum

B

genus

genus incantationib. & exorcismis ablegaturus, à quo delusus ridiculus magis quàm venerabilis evasit. Fauebant tamen ex Senatu & Academia praestantes viri Luthero, & apud Electorem precibus *And. Ec.* dream Ecbertum Silesium, qui postea à *bertg.* fab *Murichia* Etione Lebusiana in exilium magno bonorum omnium dolore expulsus fuit, hominem in primis doctum, facundum, & apud plebem gratiosum, obtinuerant, ut Evangelium Iesu Christi publicè doceret. Is rem ad Martinum Lutherum, consilio illius expetito, detulit, qui die V. Augusti in hanc fermè sententiam respondit: Et si plerisque incredibilia, quae scriberet, viderentur, & quamvis ipse quoque antea iocū sibi quendam & fabulā narrari putasset, at tamen si verè singula ita se haberent, credendum iocularē esse spiritum, qui ocio suo securitatem nostram videret. Primum itaque pro puella seriò orandum, quae propter nos ista pateretur. Deinde spiritum illum vicissim contemnendum & ridendum, nec ullis exorcismis aut serijs tentandum. Risdere. n. ista omnia Diabolicam superbiam.

Eo

Eo modo si in oratione pro puella & contemptu in Diabolū perseuerarent, tandem istum abiturum. Consultum etiam fore, si vicia sua principes, quæ hoc ostentopeterentur, serio emendarent, in quibus nequam iste Spiritus se potenter dominari significaret. Monet tandē Ebertum, quandoquidem euulgatione dignum esset, ut certissimè exploraret, an forsā doli aliquid subesset, & imprimis, an monet a sicca esset, aut nummi quos puella raperet, in aliorum manibus durarent. Se enim tot fucis, technis, dolis, mendacijs & artibus vexatum, ut difficilis ad credendū omnia & omnibus, nisi quæ ipsemet faceret & diceret, esse cogeret. Eo nimirum Diabolā vim, mundi malitiam, & hominum confidentiam progressam. Quapropter prospiceret sibi, ne falleretur, & per illū alij. Hoc Lutheri consilio cum ita acquietum fuisset à Francofordensibus, puellamq; frequenter ad preces publicas, conciones & templa adduxissent, quanquam inter sacra blasphemias sæpenumerò eruētarec imprecationes Satanas, sanitati tamē paulò post integrè

B a

est

est restituta, & de his & alijs interrogata, ea que facta fuissent, omnino se nescire dixit. Attigerat iam princeps, Iohannes Georgius undecimum aetatis annum, & de indole eius nihil non sibi Marchia promittebat. Quam ut excitatam augeret, sanctissima subiecit educationi pater Elector, & vita studiorumq; magistrum Nicolaum Meisnerum dedit, praecepitq;, ut secundum Catechismi doctrinam atq; Bibliorum lectionem in Grammatices, Dialectices, & Rhetorices Elementis fideliter institueret. Nam sine ijs artibus nihil de rebus arduis iudicari, quas ut facilius & plenius perciperet, linguae latinae usum assiduum, atq; frequens formandi styli exercitium interueniri oportere. Equidem illam non ad praesens solum negocium, sed in omni quoq; vita necessariam futuram: mouebat etiam hoc, quod id ex Bullae Carolinae, quam auream vocant, lege facere teneretur, siquidem non raro cum hominibus exterarum gentium arcana in deliberationibus grauissimis colloquia essent habenda. Neq; sane Ecclesiasticas aut forenses

forenses controuersias satis absq; ea intel-
ligi. Cui ita iactō fundamento probatam
antiquitatis & historiārum cognitionem
superstruendam, censebat. Et ut initia
quoq; doctrinæ Iurisconsultorum hauria-
ret, certisq; iustitiā normis inclusam, nec
principum arbitria, aut quidquid place-
ret, leges esse disceret, Bartholomæum Ras-
demannum, qui fontes legum perfectius
ostendendo, quibus metis iustitia esset cir-
cumscripta, & quem audacia extra septa
excurrens vindicem experiretur, probè
doceret, atq; reliquas principe dignas sci-
entias adhiberet, submisit. Quò minus
autem deessent, quos emularetur, Frides-
ricum fratrem, & Iohannem Megalopyre-
gensē ipsi studiorum socios attribuit.
Nihil enim aequè generositati calcaria &
incitamenta subdere, quàm si quis in eor-
dem secum stadio pares amulos paribus
studijs currere videret, iudicabat. Ea fis-
liorum institutio Academia Francofor-
dianæ instaurationi occasionem dedit.
Hanc Ioachimus I. Elector ex Imperij des-
creto fundauerat, sed cum religionē Pons-
tificiam

zificiam obnixius defenderet, multum de
 pristino splendore detractum est. Itaq; ve-
 lut ex naufragio recollectam auctione sti-
 pendiorum, professionum, & reddituum pris-
 tine dignitati restituere procinctus, de
 solenni reformatione sollicitè cogitabat.
 Cernebat autem primum esse, ut doctrinae
 puritas Evangelica in eam deriuaretur,
 sic enim inuitatos discipulorum animos stu-
 diosius illò concessuros, quæ res Academia
 Vitebergensi incrementa felicia dedisset,
 suæ autem cursum & progressum hæte-
 nus impediisset: Secundum hoc, ut cum
 pontificia impietas densissimis tenebris do-
 ctrinas inuoluisset, & tales discipulos ge-
 nuisset, quos meritò inuentus rectius edo-
 cta auersaretur, viri præstantes in locum
 imperitiorum succedentes cooptarentur,
 in quem usum plura & honestiora stipens-
 dia constituenda essent. Etsi enim à pa-
 tre in vrbe locuplete & rebus necessarijs
 instructissima nihil prætermisum fuisset,
 quod vel ad regiam munificentiam suffic-
 eret, attamen in illa crescente temporum
 iniuria

iniuria, dum multò cariore omnia precio compararentur, accessiones fieri oportere. Tandem quod leges etiam reformationem desiderarent, eam curam viris sapientibus committendam, qui quod ex dignitate scholæ foret, statuerent. Sic nempe agram & labantem rem literariam sanari & iuvari posse. Communicato igitur cum Alberto Moguntino patruo, & Christofero Turco, cuius apud principes Brandeburgicos summa erat auctoritas, consilio, totus huc euigilabat, ut optimum & doctissimum quemque, quanto tandem honorario deprecandum conducendumque eò transferret, illamque provinciam Georgio Sabino in primis, & Iodoco V Villichio demandabat, petens ne in eo quidquam reliqui facerent. Horum industria & ope acquisiti in omni scientiarum genere viri excellentes scholam frequentiore reddiderunt. Sollicitus etiam commendatione potissimum Christoferi Turci Viglius Zuichemus, ut Academia collapsa instaurator fieret, in oblatâ conditionem, quod in

iudicio Camera Imperialis Spira assessorio
 munere fungeretur, non consensit. Huc
 studiorum causa Iohannem Georgium &
 Fridericum filios cum Alberto Megalopyra
 gensium principe, cura inspectionis Geor-
 gio Sabino & Iodoco Willichio demandas
 remisit, ibique Iohannes Georgius Rectoris
 Magnifici magistratum gessit. Circa quod
 ferè tempus Iohannes Schenitius collo no-
 ctu sine praeunte iudicio obtorto vitam
 finit. Vrbs est ditionis hodiè Magdebur-
 gica Hala, quae eodem ferè quò Magdes-
 burgum iure usa, istud intestina ple-
 bis cum primoribus discordia anno Christi
 D. CCCC. LXXVIII. amisit, iugumque
 ampla arcis mole excitata in verba Arc-
 hierischofi iurando accepit. Res autem
 ita se habet: Cum in Salinis proprietarij
 per luxum superbe plebem despicerent, &
 qui ad gubernacula sedebant impotenter
 dominarentur, sibi que magis, quam rei pub.
 consulerent, simulias primùm tacitè enas-
 ta voces quasdam iracundiores excitavit.
 Inde in contentionem res turbasque graues
 abiens periculosum admodum civitatis stas-

sum.

LIBER I.

rum reddidit. Poterat hoc initio dissidia
 um facile sopiri, siquidem prudentia ada
 hibita fuisset, & altera pars alteri ali
 quantum concessisset, neutra autem, ut
 putabant, de iure suo quidquam remitta
 tente, seditionem ditioribus fastuosè alen
 tibus, materiamq; & fomentum indigna
 tioni præbentibus, plebe autem propositum
 obstinate urgente, Saxonia principi Electori
 illam filij Ernesti Episcopi Magdeb. Imperio,
 libertatis velis inhibitis, astringere occasio
 se obtulit. Ex improviso igitur eruptione
 faciens milite suo eã obsidione cingit, cetera
 tus ab alterutra parte se receptũ iri. Cum
 ita interclusus esset exitus, nec agrorum
 colendorum potestas, commeatusq; impe
 diti forent, tum demum inuicem probrosè
 incusare, causamq; omnis male, acerbè no
 minare, iamq; eò deuentum erat, ut plebs
 principem quàm suos æquioribus auribus
 & animis audiret, malletq; in illius arbi
 trium venire, quàm auaritam istam multa
 torum libidinem quotidie experiri. Mox
 aperta porta, inuitatusque hostis est, qui
 parcens urbi præclara, hostile nihil præ se
 tulit,

B 5

tulit,

tulit, nisi quod Senatores in vincula con-
 iectos grandi pecunia mulctavit, & ma-
 gnam salinarum partem ad Episcopum
 transtulit, cauens edicto, ne ab eo tempore
 sibi quisquam propria auctoritate earum
 possessionem arrogaret, sed ab Episcopo bene-
 ficij iure peteret. In hac ille vrbe multum di-
 gnitate poterat, virtuteq; & opibus eo pro-
 gressus erat, ut apud Albertum Moguntia-
 num & Germanie Primatem in singulari
 floreret gratia, & ab eo Questor ararij sus-
 premus nominaretur. Hic magna peragens
 munia dexteritate, nemini detrahens,
 nulli molestus, ad aliquam opulentiæ famam
 peruenerat. Quam ipsi ex aulicis inuis-
 dentes fortunam grauiter apud principem
 repetundarum accusabant. Sed quo se
 ita facto purgabat, ut arctius etiam quam
 ante complecteretur. Cum verò animum
 illius tentare calumnijs quotidie suffusis
 non desisterent, perfecerunt tandem, cum
 villa Sehenitiana dominum suum in sus-
 spitionem tacitam pertraheret, atq; doctri-
 na Lutherana heresim non ferendam af-
 fingeret, liuorq; virtutem compungens &
 confodiens

confodiens solidam nihil omnino cessando
 remitteret, ut commutata in indignationem gratia è fastigio excuteretur, & carceri includeretur. Vbi miram hominũ maleuolorum impietatem insolentiamq; expertus est, cui tamen forti & inuictõ animo, bonitati confidens conscientia, nihil cõcedens, ad rationes suas non principi solum, & quorum interesset, sed etiã omnib; probandas paratũ se obtulit. Istud autem profecit, ut qui iure legeq; non posse videbatur, violenter nocturno tempore paucis facinoris administris in ignominioso sceleratorum loco strangulatus sit. Quem ita cum ciues præter omnem expectationem manẽ vitæ honorisq; iacturam irrecuperabilem fecisse viderent, tanti viri casum et XXXVII.
 miseriam ingemiscendo, crudelitatem & exemplũ detestati grauitè doluerunt. In-
 clarescebat tunc Ignatius quidam Layola, Cantabrus miles, qui Iesuitarũ sectam introduxit. Is bellicis in obsidione arcis Pompeiana machinis grauitè lesus, cum bello inutilis esset, religioso habitu palestina peragranda potestatem, quò peccata expiaret cõmissa, à pontifice Rom, obtinuit. Fortè
 antena

autem Solymanus expeditionem in Christianos moliebatur, ut tuto illic migrare cum decem ascitis comitibus haud posset. Sententia igitur mutata, Venetijs à legato Pontificio sacris initiatus, concessione eius ubiq, quò fortuna ferret, docere pro concione cepit, eamq, sanctimonie opinionem sibi comparare, ut anno ab hinc quarto, intercessione Contareni Cardinalis, Paulus III. Pont. Canones illius & ordinem consecratum impertitis privilegijs confirmaret. Unde secta ista breui ea acquisiuit incrementa, tantamq, sibi auctoritatem peperit, ut hodiè fastiditis reliquis una columna Papatus Romani credatur, & nulla fermè provincia Europea reliqua sit, cui non mira arte & vafrutie potenti callidè imponat, atq, credula quæq, in suas partes ingenti emulatione & Zelo perducatur. Insignis fuit hinc annus conuentu principum & ciuitatum Smalcaldie, in ditione principis Hennebergensis, concilij causa habito, ad quem Theologi magni nominis frequenter vocati sunt. Prodierunt hinc primùm articuli doctrine Christiane, à
 loco

loco Smalcaldici dicti, per Martinum Lutherum conscripti, qui ibi in morbum ob calculi tormenta periculosum inciderat. Eo decumbente cum Vitus Theodorus Norriburgensis, Fridericus Myconius Gottbarnus, & Iustus Menius Iseracensis Pastores astantes sollicitis animis Ecclesie statum, si quid humani instauratori Evangelice veritatis per mortem immaturam contingeret, deplorarent. Hic ille, non est, inquit, quod doleatis, abundat etiam Germania hodie per Dei gratiam egregijs doctoribus, qui me doctrina longe superant, illi pontifici nihil concedent. Et hoc est, ait Vitus, quod luctuosum nobis accidit, nam tibi qui se preferent, res Ecclesie in discrimen vocabunt, dum suis obsecuti affectionum incitamentis aliorum saniorum rectiora iudicia stultis suis opinionibus postponent, dissidiaq; gravia excitabunt & augebunt. Tum Lutherus: istud quidem metuo, proinde tales vobis cauendi erunt. Pontifex imbellis non multum Evangelio incommodabit, at istis, opinor, nostra sordebunt, pudebitq; eadem iisdem repetere,

aut

aut Catechismum simplici ratione tradere, sed singulare quid afferre in medium, quod plausibili rationis, acuminis & eruditionis laudi affine videbitur, connitentur. Hinc quicquid nos immenso labore praestitimus, in nullo amplius momento reponetur. Verba sua pro testimonijs & dicta pro oraculis censebunt. Sed nihil proficient, Euangelium suum Christus conseruabit. Ad hunc conuentum Georgius Brandeburgicus religionis & amicitiae causa legatos ire iussit, sed foedus declinabat. Celebre autem passim erat concilij Mantuae à Pontifice Rom. indicti nomen, multumque negotij per Marchiam quoque, difficultate summa rei agenda obiecta, facebat, & Ioachimo quidem Electori, qui religionem mutare omnino constituerat, graue admodum erat, ulteriorem cursui Euangelij morum afferri, ne tamen Casari praesudicare videretur, eam instituto interuenire passus est, ne aduersarij haberent, quod de immaturo & precipite consilio conquererentur. Iohannes autem Fra-

ser

per aliquantò presentiore animo agens
Ecclesias passim facta reformatione per
ditiones suas nullo vel periculi metu in-
dulgens, vel secuturas vastitates diuia-
mans, sed DEO omnia commendans rectè
constituebat, & apertè Confessionì Au-
gustana subscribebat, quin & eo nomine
se in fœdus per Iohannem Fridericum Sax-
onia Electorem recipi petebat. Ratio
autem huius fœderis erat illa, ut qui
eo tenerentur gloriam Dei inprimis pro-
positam haberent in confitendo & tus-
endo verbo eius sacrosancto. Quod si
propter religionem hanc cui vis fieret, ut
tunc coniunctis viribus, animis, & con-
silijs opes & sanguinem, vitam, fortu-
nâsque in defensionem ad propulsandam
iniuriam mutuò impenderent: vel si quem
ex his periclitari contingeret, in pacem
nequaquam reliqui, donec spoliatus inte-
grè restitueretur, prudenter consentirent:
Moto bello ab aduersarijs nullus à fœ-
dere discederet, donec belli simul metu
ablato de pace firma omnibus idoneè
caueretur.

caueretur: Si verò belli administratio cessaret, & tamen nihilominus de certa pace sibi securitatem promittere non possent, darent operam, ut ex ordinaria contributione aliquot equitum & peditum milia opportunè semper ad depellendam vim hostilem parata forent. Extra eum casum alter alteri suppetias ferre vel auxilium non teneretur, Fœderis principes nominabantur Iohannes Fridericus Saxo Elector, & Philippus Hassia Landgravius. His ex omni confœderatorum numero tredecim delecti, velut consiliarij & administri, additi, qui in commune, quid pacis bellique tempore ex usu foret Fœderis & reipub. consulerent, & quid ab ijs vel maiore parte concluderetur, in effectu valesset. Qui admittebantur eo nomine certam pecunie summam, quantum facultates ferre videbantur, sine recusatione deponebant. Ordinarias contributiones conferre non detrectabant: Hec omnia sanctè servaturos promittere non dubitabant. Postea tamen promissis non apud omnes cum pari constantia fides respondit, excesseruntque

cusserruntq; optimo principi Iohanni Fris-
 derico Electori Heroi incomparabili hanc
 tristem cum gemitu editam vocem: Bon-
 num quidem esse fœdus facere, sed eius
 miseram planè esse conditionem, qui ser-
 uaret, quod iam usu sibi veniret. Huius
 confœderationis exemplum datum fuit
 omnibus, qui huius norma participes se fe-
 cerant, obsignata autem duo tantum &
 authentica unum apud Saxonem, & al-
 terum apud Argentoratensem senatum
 deposita. in reformatione incepta Iohanes
 princeps id studiose contendebat, ut
 quàm proximè ad formam ceremoniarum
 sacrorumq; rituum Ecclesie Vuitebergensis
 accederet, doctrina autem omninò con-
 fessionis & Apologia principum Casari Au-
 gusta exhibita consona esset. Quandoz
 quidem verò certamen Sacramentarium
 multos dubitantes, in quam concederent
 partem, perturbationi extrema obijceret,
 tutissimum censebat conscientijs fore vera-
 bis Christi insistere, ideog; sententiam Lu-
 zheri & ipse semper sequebatur, & Eccles-
 iis suis edicto commendans voluptatem
 C singulari

*singularem inde percipiebat, cum audiret,
 concordiam inter superioris Germaniae Theo-
 ologos & Martinum Lutherum esse institu-
 tutam, ac Bucerum cum alijs à conuentibus
 Argentoratensibus ministris verbi ex Helue-
 tia & Sueuia amandatis, suum reuocasse
 & retractasse errorem, seq̄ ita explicuisse,
 quod crederent, panem esse verè corpus
 Christi, idq̄ non vniri naturaliter cum pa-
 ne, nec includi localiter, nec in cibum vena-
 tris mutari, sed Sacramentali vnione cum
 pane porrecto presens esse simul, & verè
 porrigi, atq̄ accipi non solum corde, sed &
 ore à dignis ad salutem, ab indignis ad ius-
 ditium. Quod verò hæctenus dixissent,
 impios non sumere, de Turcis, aut Iudeis,
 aut muribus, vel vermibus ostias cibarijs
 inclusas arrodentibus intellexisse, siqui-
 dem certum esset, nullum ibi à Christo in-
 stitutum actum obseruari, & quod fieret
 ad panem solum, non ad Christi corpus per-
 tinere. Hanc crassam, localem, & natura-
 ralem manducationem corporis Christi
 semper negasse: Eam verò, quæ secundum
 institutionem Christi perageretur, ex a-
 nimo*

nimo amplecti. Libenter etiam fateri, panem esse corpus Christi ex potentia & virtute instituentis Christi, eiusque divina maiestate, siue indigni abuterentur, siue digni uterentur, & propterea à Luthero & reliquis collegis panem datum, & ab ijs quoque accepisse, cum prius ore & manu contestarentur, se aliam non agnoscere fidem, præter eam, quæ Confessionis esset Augustana, eiusque Apologia, & ne quisquam dubitaret, verè ad sententiam Lutheri & Ecclesie Vitebergensis accessisse, Bucerum in templo Parrochiali Dominica Exaudi unà cum Vuolfgango Capitone communicando publicè sacram percepisse synaxin, & hora pomeridiana tertia astantibus multis hominum millibus pro concione ingenue professum esse, se & reliquos legatos eam doctrinã de vera & substantiali presentia, distributione atque sumptione corporis & sanguinis Christi in sacra cœna exosculari & venerari, in eaque, quò ad lucis usuram concederet Dominus, perseveraturũ, & suas retractationes in Evangelistas eo nomine, ut huius rei fidem faceret

omnibus, meditari. Ea concordia mirificè
 optimi principis animum recreabat, &
 supplicationes Deo Optimo Max, pub. per
 templa decernebat. Quomodo cum Steinio
 Eustachius Slibenius de resignando iure in
 dominatum Zossanum egerit, antè docui-
 mus. Hoc autem tempore Ioachimus I I,
 Elector negotium planè conficit, & Frides-
 ricum quidem ad se in aulam numeratam
 quotannis certa pecunia summa, sumptuq;
 honesto victu & domicilio liberaliter præ-
 bito transfert, qui paulo post Berolini mor-
 tuus in eade monasterij Franciscani sepeli-
 tur, Epitaphioq; honoratur. Dominatum
 verò sub plenaria possessione ad usum suum
 & iurisdictionem, primo loci illius præside
 Eustachio Slibenio constituto, vocat, cum
 prius de toto negotio Ferdinandum Regem
 monuisset, quem inter & Iohannem Fra-
 trem contentio de territorio Crosnensi in-
 tercedebat. Est autem Crosna ad Boberæ
 ostium in Viadrum se exonerantis Silesia
 oppidum, & quasi Marchia clavis ab ea
 parte, quæ versus ortum Solis protenditur,
 à quo principatus nomen habet. Hic anno
 Christi

Christi M. CC. LXXII. Iohanni I I. Ele.
 ctori Brandenburgico, postea Alberto, quem
 Teutonicum Achillem vocant, per certis
 aris interuentum pignori datus est. Tana
 dem Iohannes Dux ultimus consensum
 Ladislai Bohemia Regis secutus, eum Ioh
 hanni I I I. Electori cum plenaria iurisdic
 ctione sub venditionis nomine vtendum
 fruendumq; tradidit. Ita ad Marchiones
 Brandenburgicos deuolutus iure hereditas
 rie successione legitimo ad Ioachimum Es
 lectorem & Iohannem Fratres peruenit.
 Hunc Ferdinandus Rex repetebat. Brans
 deburgici autem Fratres transactione su
 periore nitebantur, vt beneficium tamen
 à Rege iure feudi accipere renuebāt. Quis
 bus ferè diebus à Sigismundo I. socero Pol
 lonia, & Iohanne Vngaria Regibus de apo
 paratu maximo, quem Tyrannus Turcicus
 ultionis aculeo laceffente per prouintias
 suas faciat, cladem acceptam distringens
 do, memorem aduersus Germaniam da
 mnorum iram pensaturus, monetur cuius
 consilium sit per Morauie fines ac Silesios
 eruptionem in Marchiam usq; & extremã
 C 3 Germaniam

Germanium tentare. Itaq; quid faciendum sit, in medium consulere, atq; in tempore providere hortantur. His & alijs de causis in Lusatiam ad Ferdinandum Regem, qui ex Bohemia tunc primum istuc venerat, profectus, communicata cum illo sententia, quid in presenti periculo agendum deliberat. Actio autem Crosnensis, quandoquidem ampliore tractationem requirebat, suspensa in aliud tempus commodius rejicitur. Interim Saxo conventum Protestantium Brunsvici designat, ad quem Christianus Daniae Rex, bello cum Lubecensibus sopito, venit. Cum autem Iohanni Friderico Saxoni per ditionem Henrici Brunsvicensis eundum esset, ab eo contra morem in imperio receptum, ut sibi fide publica caueret, impetrare non potuit. Quine bellimateriam praeberere videretur, aut turbare pacem publicam, dissimulando iniuriam patienter tulit, ut tamen nihilominus deliberatio instituenda successum suum sortiretur, idem à Ioachimo Electore petens sine molestia impetrat. Septem igitur dierum profectioem per Mediam

&

& veterem Marchiam amplissimo cum
 comitatu faciens, amicè pro dignitate
 deductus, & liberaliter tractatus Bruno
 suicum summa cum omnium gratulatio-
 ne ingressus est. Miserat huc ex Borussia
 Albertus Dux legatos, & in fœdus ut
 reciperetur diligenter laborabat. Quano-
 doquidem autem ante annos octo illius
 transactionem cum Sigismundo Polono,
 sollicitante Vualtero Cronbergo, velut in
 Imperij detrimentum factam, Caesar res-
 sciderat, ipsumque à Camera proscribi cu-
 rauerat, denegatum hoc ipsi fuit publi-
 cè, sed priuatim singuli & vniuersi be-
 neuolentiam omnem pollicebantur. Ioa-
 hannes quoque Brandeburgicus se admit-
 ti petebat, quod ut fieret negotium Saxo-
 ni datum fuit, à quo iisdem quib. & ceteris
 conditionibus receptus fuit. Disces-
 sum tamen ab illo fœdere postmodum est,
 nec pecunia deposita, ut equidem consti-
 tutum erat, opera potissimum Alberti
 Moguntini & Ioachimi Fratris Electo-
 rum. Cum igitur de concilio spes dubia aut

nulla esset, insignis mutatio religionis per
 vniuersam Marchiam consecuta est, iam
 quidem antea princeps vique Lutheri doc-
 trinam amabat, sed viuo parente nihil
 eius pre se tulerant. A morte autem illius
 summo ardore amplificandi cultus diuini
 conferti sanctissimi tenoris specimen à Vi-
 zeburgensi Ecclesia mutuando, delubris pro-
 fanatorum errorum repudium miserunt,
 abrogatisq; pontificalibus Lutheranismi
 sacra primi intulerunt, reiecta Romana
 idolatria Christianum emulati cultum.
 Aliquantò post Ioachimus ad Saxonem
 Eustachium Slibenium prefectum Zossen-
 sem ablegat, docetq; in quo periculo patria
 communis versetur. Quia enim cladem
 Turcorum Tyrannus superioribus annis ac-
 ceperit, totum nunc in eo esse, vt Christia-
 norum sanguine expiet. Constituisse ipsum
 per Morauiam & Silesiam eruptionem ten-
 tare, qui illi si conatus successisset, Saxonis
 iam saluam esse non posse, & quidem hos-
 tem saeuissimum totius Germanice vastas-
 tionem sibi promississe, minariq; aperte sicut
 Iohanni Vainoda nunciavit, Constare au-

tente

intercedat, & sibi atque Palatino pacis actio permittatur, facturos, quod ex reipub. sit dignitate & utilitate, & Cesare gratum, simulq; Palatinum interpellat, ut huic suam studio operam aggreget. Hac XXXVIII. dum ita tractantur, Matthias Heldus Berolini Ioachimum Electorem convenit, & in odium protestantium multa probrosè locutus, de fœdere nomine Caesaris sollicitat. Sed is hanc obducens actionem in presentia acquiescere, & ad eam conficiendam sua quoq; consilia conferre iubet. Qui longè aliam ingressus viam hinc inde Protestantes criminatus, quasi nullas pacis conditiones ferre possent, non desit, donec in fœdus, quod sanctum vocabant, Norinbergæ coiretur, pontificios verborum illecebris ambiendo captare, quibus & Albertus Moguntinus subscribebat. Ea res nihil Ioachimi diligentiam tardavit, sed fortius renitens perfecit, ut Francofurti Caesar pacis inducias religioni usque ad proximum Imperij comitium largiretur. Quo tempore Cometa in piscibus apparuit, & non leuem impendentis mali metum sanioribus

sanioribus incussit. Prodierunt tunc etiam in publicum commentaria Martini Lutheri in Epistolam Pauli ad Galatas, quæ cupidè arrepta recentiori Ioachimè instituto multùm commodarunt, & quidem exinde, etsi plusculum ceremoniarum retineret, quidquid ad huius doctrinæ custodiam attineret, scrupulosissima cura, sicut non minus efficaciter quàm pie auspiciatus fuerat, seruauit. Quapropter hoc pietatis officio permulsa Deitas propitijs Numinis fauore Marchiam felicissimo rerum statu secundauit, & principis salutaris annos sub florente Imperio ad extremam senectam transmisit. Tale enim exordium in culpas propiante gratia Dei decurrere non poterat. Huius sui instituti rationem publicè edito libro explicuit. De quo cum Georgius Saxo comperiret, per literas & internuncios hortatur, ne auita & paternæ religionis auctoritatem dubiam & contemptibilem hac reformatione, quam nemo pius & sanus laudare queat, faciat. Et te, inquit, cum in generum mihi eligerem, nequaquam

sanitudo

tantum te inclite tuae familia labem as-
 persurum credebam, aut tantam mihi,
 qui ex te & filia nepotem Iohannem Ge-
 orgium habeo, maerorem allaturum, ideoq;
 Optimè de te semper speravi, tuisq; non sine
 gratulatione animi actionibus, sicut
 equidem debebã, ut fortunaret Deus, bes-
 ne precatus sum, & si quando de rerum
 tuarum successu felici, prosperoq; euentu,
 victorijs & honoribus novis audirem, sum-
 moperè gavisus & letatus fui. Dignitatis
 tuae, ut studiosissimus veneratione perpe-
 tua extiti, ita incrementa eius, ubicumq;
 accessionis aliquid fieri posse animaduer-
 terem, diligenter laborando quaesivi, eam
 de te expectationem fouens, per te his res-
 ligionum dissidijs aliquando commode &
 fructuosè mederi posse. Sicut ob idem stu-
 dium patruus tuus Albertus Moguntinus
 Elector apud summos Monarchas in sum-
 mo honore & singulari est auctoritate,
 suorumq; laborum pro repub. fructu sanè
 per quam eximio fruitur. Talem mihi ex
 tua quoque indole voluptatem pollicebar.
 Nunc autem intelligo, quàm longè aber-
 raverim

rauerim à bono, & quantum me mea opinio
fefellerit, quod eo durius mihi accidit,
quod ferè omnes, quibus me ipsum totum
dabam, mea q̄ credenda sunt, qui mihi
hoc nomine debebant esse coniunctissimi,
suum à mea cura & solitudine adeoque
pietate animum segregant. Sed ut pro-
pterea animum despondendum, & mox
in istorum sententiam eundem mihi pu-
tem, si qui fuerint, qui sibi de me pollice-
antur, me hercule multum falluntur, quin
masculè, quo ad vitæ usum & principatū
Deus prorogauerit, in auita paternaque,
& inde per tot secula in nos propagata re-
ligione, quam Pontifex, quàm Caesar,
quam Ferdinandus, & præcipui Europæ
Monarchæ venerantur & amplexantur,
persistam. Quod te quoq; facere malletm,
quam non sine offensione Dei, Caesaris &
omnium bonorum molestia ab ea impie des-
ficere. Et quamuis à fœderum coniuratio-
ne perfidorum hominum te abstinere cum
voluptate intelligo, attamen quia te illo-
rum dogmati, quod profectò heresi affine
est, aggregatum video, non possum non
dolere

dolere gravissimè. Itaque te, quem semper dilexi plurimum, & cuius saluti & existimationi rectè consulere cupio, oro & obtestor, ne id, quod pater tuus optime memoriae ratum habuit & approbavit, præsumptione profana rescindas & reijcias, quo facto parentem illustrissimum impietatis accusare & planè damnare videris, sed religionem nostram quasi depositum quoddam, vel in patris incliti memoriam conserues & sanctè habeas. In eo feceris quod ad gloriam Dei spectat, & ad implendam parentis voluntatem supremam pertinet, Casari quoque & Ferdinando Regi, quorum amicitiam aliàs credo tibi esse longè iucundissimam, gratius facere nihil poteris, dabiturque tibi hac ratione occasio amplissimos tuis acquirendi principatus, & tuas prouincias meliore conscientia & possessione tranquilliori absque tumultu & motu obtinendi. Me quoque tuum socerum maiore, quod tibi sanctè affirmo, voluptate afficere non potes, & ego pro loco vicissim omnes meas fortunas, meque ipsum, sicubi oportunus esse quiuero, totum tibi

tibi defero. Albertus etiam Moguntinus
 patruus, et si iam antea quid ageretur non
 obscurum esset, attamen nunc plenius edo-
 ctus de omnibus, nihil pratermittebat, ut
 ioachimum Pr. ab instituto, urgente quoque
 imperatore id ipsum, auocaret. Quibus ita
 respondit, ut rationibus adductis acquies-
 cerent, nec in proposito obfirmatum am-
 plius tentandum iudicarent. His ad stipu-
 latus Sigisf. I. Poloniae Rex mutationem reli-
 gionis, tum Ioach. II. tum vero filiae Heda-
 uigis causa, quam Lutheranae heresim vel
 in ipso matrimonio detestari, & ex mu-
 tatione illa molestias capere putabat, do-
 lenter & ipse agreebat, neque istud ad
 ioachimi II. legatos Cracouiae dissimula-
 uerat. Tandem cum Elector suum consilia
 defendere, sibi quoque cum coniuge optima
 convenire, quae mores suos haberet pers-
 pectos, & sciret religionis studiosum esse,
 & ab iniustis consilijs abhorreere scriberet,
 adderet etiam hoc, quod cum ea preces con-
 iungeret, & de diuinis mandatis, de spe
 vitae aeternae, & beneficijs Christi saepe collo-
 queretur; concederetque illi, ut quos amaret

ritus

ritus suo arbitrio uteretur, & hoc unum
 eniteretur, ut coniugiū utriq; esset iocunda
 dum & salutare: Rex magis indignitate
 quasi rei ob seductam filiam accensius gra-
 uiter cum illo ex postulabat, & petebat, ut
 XXXIX. ad gremium veteris Ecclesie rediret, neq;
 se vicinorum principum incitamentis à
 vero iustoque abduci pateretur, ut cum
 paucis à Catholica Ecclesia secessionem
 faceret, sed si qui essent eius farinae homi-
 nes, in quos Imperium & potestatem usura-
 rare posset, pro delicti gravitate seuerè
 plecteret, exemplumq; statueret, quibus
 alij rectius sapere discerent. Sicut Geor-
 gium Saxonem & Henricum Brunsvicensi-
 sem principes facere ex multorum relatu
 cognosceret, qui omnes huiusce norme par-
 ticipes vario plagarum genere fatigatos
 insequi non quiescerent. Quod si neq; his
 sibi satisfactum existimaret, concilij au-
 ctoritatem expectaret, quod imperato-
 rem Carolæm propediem apud pontificem
 Paulum III. procuraturum consideret, ac
 ne que mora longior interponeretur, suam
 quoq; sollicitudinem & operam interven-
 turam

zuram. Huic soceri petitioni mense Octobri per literas respondens, Semper ita, inquit, iudicavi, nihil equè decere virū laudatum, & ex quo maiorem gloriae fructum capiat, quàm si in religione sincera, veròq; Dei cultu constantiam absq; simulatis & fictosis officijs præstet. Itaq; non raro Ecclesie morbos cum veteres tum novos deploro, eorumq; emendationem votis ardentissimis optavi. Quis enim hoc negabit, ijs graviter rempub. Christianam conflictari ab eo tempore, ex quo vetus illa disciplina laxata, & in tanta Pontificum negligentia & pastorum inscitia multis superstitionibus fenestra aperta, locusq; datus est? Cui forsitan aliquid opis attulerunt præsentis discordia. Ad me quidem quod attinet, eam huc usq; gravitatē præstiti, ut nec in abusus profanos consenserim, nec in ijs tuendis crudelitatis nomine accusari possim, quod tamen alijs usu venire video: neq; tamen cum fanaticis opinionibus quidquam commune habeo. Et istud ex honesta omninò graviq; & pia causa cum recto iudicio nequaquam mutando con-

D

iuncta

*in unctis proficiscitur. Nam cum salus publica flagitet, ut disciplina constituat, & Ecclesiis sani doctores proficiantur, necessario ad ea consilia descendit, ut constat omnibus, quid in tantis discordiis amplectendum, quid verò fugiendum sit. Sed hic eam moderationem adhibeo, ut nec à Catholica Ecclesia Christi discesserim, nec Episcoporum auctoritatem diminuerim. Quod si alia sequerer consilia, & flagitia manifesta probanda, & saevitia iniusta exercenda esset: Istud autem longè alienissimum esse oportet ab ijs, qui sincerè non simulatè aut fucosè religionem colunt. Ex his facile patebit, me iniuste in suspicionem leuitatis vocari, qui pro viro bono, cui Religio ex animo cura sit, & qui à sententia Catholicae Ecclesiae nusquam discesserit, censendus eram. Quae verò principum vicinorum, qui mutationem nullam admiserint, exempla in medium adducuntur, certum est, me cum illis ipsis saepè de tota religione collocutum, & meminisse utrumq; ut equitate Pontificia Ecclesiarum concordia, emendatis abusibus, restituere-
 tur.*

zur, in votis assiduis habere. Socer etiam
meus paulò ante mortem gravissimis huius
rei tractationem deliberationibus subiecit.
Videbat enim solitudinem in Ecclesiis
suis fieri, nisi iniustam vellet seuitiam
exercere, à qua abhorrere eum, ut erat ius-
ticia amans, animaduerti. Nec certè
hanc moderationem ab Ecclesia secessio-
nem, aut ab ijs, qui præsunt, aut à reliquo
nomine Christiano secessionem iudicabat.
Nequaquam igitur culpandus sum, quasi
in hanc ita causam ingressus sem, v' alios
rum bonorum Principum iudicia aut ex-
empla non attenderim. Illorum autem,
qui sine discrimine omnes abusus, omniaq;
errata crudeli suppliciorum immanitate
stabiliunt, exempla, sicut hactenus detes-
tatus sum, ita in posterum imitari inte-
grum non erit. Neque illis assentior, qui
consensum Ecclesie conspirationem esse ad
iniustam seuitiam exercendam, existi-
mant. Quare sicubi lenior videor, non
propterea vel ab Ecclesia, vel à reliquo
nomine Christiano disiunctus sum: Nam
& verum Catholica Ecclesie CHRISTI
D 2 consensus

*consensum amplector, qui extat in scrip-
 ptis Apostolicis, in veteribus canonibus,
 & probatae fidei doctoribus, & pollicitus
 sum, me synodo, si quando ritè coiret, non
 defuturum esse. Nec desunt aliàs mea of-
 ficia vlla in re communi tranquillitati.
 Nec fortunas tantùm meas ad societatem
 defensionis Christiani orbis, sed etiam o-
 peram in re militari contuli antea, & ad-
 huc offero. Nec à me ipse discedam, neq;
 voluntatem hanc mutabo. Quare si vo-
 luptati fuit tuae dignitati antea mea con-
 iunctio & affinitas, quam quidem mihi
 dulcissimam & honorificam profiteor, spero
 hanc meam quoque voluntatem perpetuò
 tibi coniunctam esse debere, habebisq; o-
 mnino, Deo dante, generum amantem
 Christianae Religionis & concordiae Eccle-
 siasticae, tuentem consensum Catholicae Ec-
 clesiae Christi, synodis assentientem, ab-
 horrentem à fanaticis opinionibus, iudicio
 Ecclesiae Christi Catholicae damnatis, ges-
 rentem arma pro nomine Christiano. An
 qui sic affectus est, accusari poterit deser-
 tionis Ecclesiae? An verò illi potius con-
 iuncte*

iuncti videntur Ecclesiae, qui sine vlla veteri auctoritate receptos abusus defendunt, veteri Ecclesiae ignotos, qui Neronianam seuitiam in pios exercent? Nos non videmur, qui nonnullo cum periculo verum consensum tuemur, qui veros cultus proponi curamus, & ab iniusta seuitia abstinemus. Planè confido, tuum & Synodi iudiciū nobis æquius fore, quàm ut moderationem hanc & lenitatem improbet. Quae praeterea memorantur, ut synodum expectem, fateor, me hac aliquandiu cōsilia synodi expectatione distulisse. Quid enim communi concordia optatius esset? Sed vltiorem moram Ecclesiae ferre non possunt, quae interea dissiparentur, & in solitudinem ac vastitatem redigerentur, si eas non constitueremus. Explorata mihi est voluntas Caroli V. Imp. quem scio magna contentione à Clemente & Paulo III. petiisse Synodū, ut ritè cognitis rebus concordia restitueretur, sed Pontifices non valdè appetunt eas, & fortasse Regū censuras non sine causa metuunt, sed tamen, si qua erit alicubi Synodus, ei meum officium

um nunquam deerit. In eandem ferè sententiã ad Carolum V. Casarem perscribit. Sic palàm reclamantibus multis Euangelium per Marchiam auspicijs Ioachimi I. Electoris doceri ceptum est. Et ut constaret, qualis illa esset doctrina, liber conscriptus est de mandato illius à Iohanne Islesbio, quem Generalem in eiusmodi causis nominauerat, continens capita religionis, eiusq; explanationem prolixam, qui Martino Luthero Vitebergam transmissus ab eo approbatus est. Huic & alius adiectus, qui formam ceremoniarum, que pro sacris agende erant, prescribebat. Sic sententiã & doctrinã Protestantium totus erat, sed à fœdere abstinebat, quod Cesaris atque Ferdinandi maiestatem impensius veneraretur, & suas fortunas fœderibus, que vicissitudinũ varietas facilimè omnimodè momento abriperet, & mutatio dissolueret, temerè periclitandas non committere vellet, vel non admodum talia vota magnificeret, que fidei lubrico nixa vestigio fortuiti rerum & temporum casus pro libitu extenuarent. Dum hac ita vltro

tro citroq; aguntur, Georgio Brandeburgico Filius Georgius Fridericus die V. Aprilis nascitur: Georgius autem Saxo Dresdae XXIII. Aprilis spiritum exhalat. Eum in agone iam constitutum, cum gregatim Monachorum sodalium patrum numlugens exhortaretur, ex parte quidam una ut Mariam, ex altera verò ut angelos, tertia tandem ut hunc & illum Diuum invocaret, eques ex equestri familia horum importunitatem in summo vite discrimine & stultitiam increpans, & ad principem conuersus, Sape, inquit, Domine clementissime, in negotijs politicis monere solitus es alios, ut in rebus arduis vitatis ambagibus rectam & regiam viam ingrederentur, ita enim facilius metam attingi. Istud tibi in hac quoq; ad caelestem aulam profectioe omnino obseruandum, existimabis. Itaque hos à te remoue, eaque quae tibi odiosè & ineptè obgarrunt, relinque, & sequere Christum IESUM, qui tibi per compendia veram caeli viam aperiet, eum precibus ardentibus in auxilium deposce, ipse desiderium

D 4 siderium

siderium tuum implebit, & gaudio eterno
te coronabit. Paulatim etiam Antinomi
progressi res Ecclesie aliquanto deteriores
fecerunt. Inter alia docebant, legem ver-
bi diuini appellatione non esse dignā, scor-
tatores, adulteros, modò crederent, saluos
esse: Mosē qui amplectērentur mancipia
esse Diaboli: Mosē ad patibulū relegan-
dum: pœnitentiā non ex lege, sed Euz-
angelio predicandam. Mature tamen ijs
à Martino Luthero, eorumq; improbitati
occursum, radicitus tamen euulsa non est.
Hoc anno VI. Maij in Tauro, horren-
da Solis Ecclipsis conspecta est, quam astu-
osissimi feruoris stupescenda flagrantia
exsiccans stagna & paludes, flamināque
vadosa efficiens, torrensq; nemora & sal-
tus, ut excitato incendio se depascerent
& consumerent, subsequuta est. Depra-
bensi quoq; incendiarij, qui naturā scelea-
re adiuuarent, & oleum, quod dicitur, ca-
mino, calamitatem calamitati incensis as-
liquot vicis & oppidis, adderent. In istos
lege actum est. In reformatione instituta
cauerat Princeps, ut non solum ministri
verbi

Verbi in puritate & sinceritate sacrae scri-
 ptura dextrè colenda rationem analogias
 fidei haberent, sed & id genus cantionum,
 hymnorum, & psalmorū, quod verbo Dei
 non repugnaret, in Ecclesiis & religiosis
 congressibus retinerent, & cum reueren-
 tia assiduè & diligenter in templis tracta-
 rent. Esse enim multiplices earum cantia-
 onum usus, utpote in quibus sæpè summas-
 tim & breuiter capita fidei & doctrinae
 Christianae comprahenderentur, nec fieri
 posse, quin simul, si certis statisq; pulcerris-
 mo ordine anni temporibus decantaren-
 tur, earum frequenti recitatione in sana
 & recta salutis doctrina Ecclesia pluris-
 mùm iuaretur. Habere & hoc singulare,
 ut eiusmodi intentio animum fortius in
 religiosam curam impelleret, fidemq; dor-
 mitantem excitaret, & ad omnem pietas-
 tem & cultum Deo exhibendum alacri-
 res redderet. Quae postea exercitia psal-
 mos & Hymnos canendi semper valuere,
 quamuis aliquantulum ipsis hodiè delica-
 torū quorundam oscitantia, tanquam rei
 minus necessariae & ociosa frigide detra-

XL.

xit, Paulatim ea tempestate respub. in bel-
 lum ciuile propendebat, & querebantur à
 Pontificijs pretextus honesti, quorum cum
 facultas denegaretur, ad varias artes con-
 uertebantur. Quam prauidens Diabolus
 calamitatem, eam per puellam prænuncia-
 uit. Quæ obsessa, cum literas nullas didis-
 cisset, extra furorem, quo misere à Diabo-
 lo corripiebatur, posita, Græcè & latinè lo-
 quebatur. Ex dicterijs illius hoc quoq; fuit
 exceptum, Magna erit in terris angustia,
 & ira in populo. De bello etiam Saxonico
 quedam est vaticinata, ut & ordinem &
 euentum præscire videretur. Sed ista tùm
 temporis in eo rerum statu non considera-
 bantur. Et Theologi quidem has Diaboli-
 cas voces, utpote à mendaciorum magis-
 tro profectas, ridendas & auersandas cens-
 sebant, reliquis verò ancipitem cogitandi
 curam inter spem & metum coniectam af-
 ferebant. Erant enim non tam de se
 quàm repub. quod eam & multorum &
 præpotentium iniurijs exposita oppressamq;
 contempfabantur, solliciti. Eum metum
 prodigium aliud cæli auxit. Ad diem
 enim

enim XXVI. Nouembris à tertia matu-
rina in Luna apparebat ad decimam usque
horam meridianam stella quadam inusita-
ta, & insequente die in eodem loco si-
mul due alie à quinta ad septimam usque
specie oblonga & curuata iterum vide-
bantur. De his varij sparsi sunt sermo-
nes. Quidam felicitatem sibi auream &
incrementa religionis Christiana grandia,
politicarumque constitutionem laudabilem
promittebant: Quidam verò hominem
diuinum verbisque factisque mirandum,
& singulari gratia instructum nascenti-
dū rebantur: Contra non deerant, qui sus-
perstitiosa credulitate viro gloria & san-
ctitatis nomine commendato mortem por-
tendere opinabantur: Saniores autem ex
nouis & inusitatis illis stellis inusitata, nec
ua, & adulterina dogmata, & distractio-
nes animorum sententiarumque in doctrina
salutis, haud dubijs cōrecturis metuebant.
Mutauerat tunc in certis locis suo usus
consilio Philippus Melanthon confessionem
Augustanam, additis detractisque quibusdā.
Nam

Nam articulum de iustificatione hominis
 coram Deo plenius & copiosius explicue-
 rat, & in loco de cœna Domini omissa illa
 clausula, qua secus docentes improbantur,
 demtisq; vocabulis, in quibus sententia
 Lutherana certitudo posita erat, id sub-
 miserat, quod utriq; parti Cingliana &
 Lutherana accommodum multis videba-
 tur. Fecerat istud eo consilio, ut dissidio-
 rum fomentum in Ecclesia tolleretur, sed
 quod postea turbis & querelis plurimorū,
 inter quos Ioachimus erat Elector, occasio-
 nem & materiam prebuit, iudicatumque
 est, quandoquidem scriptum istud non
 fuisset hominis unius nec privati, sed prin-
 cipum & ordinum, qui publicè subscripse-
 rant, Confessionem, quam non sine pericu-
 lo coram Casare & omnibus Imperij sta-
 tibus ediderant, & ad quā toties prouoca-
 verant, imprudenter à Philippo factum.
 Quin si necessitas emendationem postu-
 lasset atq; censuram, ad principes istos &
 ordines negotium totum referendum fu-
 isse, ex quorum interueniente consensu
 & mandato . . . us fieri potuisse, quod
 placuisset.

placuisse. Et quidem iohannes Fridericus Saxonie Dux Elector, ubi ex alijs conperit, per Gregorium Pontanum offensio-rem suam non dissimulavit, iussitque, ut cum ea confessio non Philippi, sed sua esset & principum reliquorum, propter quam tot pericula sustineret, ab eiusmodi immutatio- nibus abstineret. Quam enim semel approbasset & professus esset, ab ea ne latum quidem unguem unquam discessurum. itaque grave admodum esse, ab adversarijs ea arrepta calumniandi ansa, inconstantiam sibi & incertitudinem obijci, cui assine- rit illud, quod tunc offendiculo quasi obie- cto tota doctrina apud plerosque deterius habitura esset. Lutherus etiam, quo istud inscio factum erat, graviter cum Philippo eo nomine expostulavit, & ne quid tale amplius fieret, quo ad superstes huma- nitus egit, studiosè prohibuit. Erant eo tempore pontificia res in Marchia valde impedita, Evangelij autem cursus ad felicem statum prouectus, nequicquam mul- tis reclamantibus. Ea cura ex monasterijs sacrificulorum greges eiecit, & Marchiam
à monas

à monachorum impuritate liberavit, qui
 cum se despectui esse cernerent, inuiso toto
 ordine factò, paulatim dilapsi aliò migras-
 bant, cœnobijs planè exhaustis & spoliatis.
 Si qui tamen manere velent, nō impedi-
 bantur, & ex prouentib. victu necessario
 alebantur, sed ijs deudentib. nec alios eos
 optādi vel recipiendi, spe successionis omni
 præcisa, nec facultas nec potestas erat. Ex
 ijs idonei ad sinceriorē partem transibant,
 & Ecclesijs illorū, qui pagatim habitant,
 præficiēbantur. Alijs ad honestum vitæ ges-
 nus renunciatò ordine descendētib., subsi-
 dia petita nō negabantur. In hac mutā-
 tione, etsi ventrum ignauorum copia satis
 magna hinc inde fuisset, cum quibus præ-
 clara scientiæ antiquitatisq. studia parū
 aut nihil familiare habebant, at tamen si
 quid traditum aut depositum fuisset eru-
 ditum & seu dignum, id unā cum Biblio-
 thecis miserè spoliatis omne interijt, ut de
 Marchiæ rebus, quæ gesta & facta sunt, di-
 uinare magis, quàm cognoscere oporteat.
 Conseruati tamen Episcopatus, permanser-
 re integra Canonicoꝝ collegia, monasteria
 quoq.

quoque campestria & principata, illorumque
regula non impedita sunt extra ciuitates.
Cum his ita actum est, ut ipsis in loco con-
suetudini recepta concessio liberum esset,
vtram vellent religionem amplecterentur
& colerent, subditis autem Euangelij do-
ctrinam permitterent, nec propterea mole-
stiam ullam crearent. De red. tibus etiam
non ita multum diminutum, permissaque est
Episcopis ordinatio & confirmatio Euang-
gelij ministrorum. Sed hunc illis labore des-
fugientibus, Iohanni Islebio postea man-
datum, ut interea, donec aliud statueret-
ur secundum constitutiones Electorales res
Ecclesiasticas sub nomine Generalis procu-
raret, is ministros & doctores ex Acade-
mijs accersitos Ecclesijs constitutis pre-
fecit. Eo anno ad Philippum Pomeraniae Du-
cem legati ire iussi, iuris Electorum Bran-
deburgicorum in eam diuisionem renouandi,
& ex pacto a ciuibus & ordinib. iuramen-
ti exigendi causa: alij vero ad colloquium
inter Pontificios & Protestantes de reli-
gionis controuersia tollenda Vuormatia in-
stituendum, ex decreto conuentus Has-
ganoici

ganoici missi sunt. Frequentes hinc Theologi & legati principum confluxerant, erantque omnium fermè animi in eam spem erecti, actionem illam negotio Evangelico multum profuturam. Disputandi formulam composuerat, suo usus iudicio, Eccius de peccato originis, & iustificatione, gloriabaturq; inter suos, aptiorem ne ex ipsa quidem India vel ipso cælo ad concipiendam concordiam afferri potuisse, ludebatq; vocabulis criminis, peccati capitalis, & culpæ, & Socraticum disputatorem agens, suamq; occultando sententiam adversarium oppugnans Phormionem magis aut Pseudolum in comædijs quàm Theologum præ se ferebat. Postulabat autem fastu intolerabili, ut formulæ conceptæ subscriberent, quibus tranquillitas Ecclesiæ curæ foret, & in cunctantiores debachatus suffragia extorquere conabatur. Et si autem quibusdam persuaderet, ut tamen cuncti in eam sententiam concederent, optinere non poterat, qui Sophisticos istos labyrinthos diligenter vitabant. Inter hos legati erant Brandeburgici, qui verbis die

bis disertis Ferdinando Regi ostenderunt, quare illam repudiarent, & modeste, licet rectius Confessionis se Augustanae normam sequi professi sunt, dederuntque id operam, ut Palatinos & Iuliacenses in suas partes pertraherent, neque urgere desierunt, donec negotium confecissent. Grauitur istud tulerunt Pontificij, deliberaruntque de illis ex Senatu excludendis, sed cum offensiones & turbas timerent, eo consilio exclusi aetum cum illis, ne melioris partis consensum prodicione quasi turpi labefactare vellent. Cum autem hi propositum tenerent, trahendi temporis causa, donec à Cesare, ad quem omnia re inuidiosè & odiosè exaggerata perscripserant, certum responsum acciperent, petebant, ut sententiam suam scripto exhiberent. Quod XV. Decembris die factum est, ita metus Pontificiorum, ne suffragijs vincerentur, colloquium, diem in diem ducendo, distulit, donec actionem Caesar ad se integrè & comitium Ratisponense reuocaret. Cum reliquis, quos Elector eò miserat, Alesius quoque Scotus Theologus Francofordianus

E Lipsia



Lipsia accersitus ablegatus erat, illi multum cum Pelargio monacho & Mensingero de fide & dubitatione, cum dicerent, dubitandum omninò esse, an quis sit à Deo in gratiam receptus, iuxta dictum Paulinum, nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum iustificatus, contentio fuit, ita reprobatò colloquio in conventum Ratisponensem omnium animi erecti erant, ad quem à Cesare evocatus Ioach. Elector mature profectus est, Iohannes autem Frater Marchio legationem eò misit, Hic primum liber ille, quem postea auctum & locupletatum, Interim vocarunt, in lucem productus, à Cesare Theologis còmendatus est, quod idoneus omnium maxime ad colloquium fructuose instituendum sapientibus, videretur, ideoq; ut eius normam in disputando sequerentur iussit, facta potestate, ut si quid in eo desiderarent, ingenuè indicarent. Is ita formatus erat, ut si quid Protestantibus, concederet, id obscura orationis perplexitate, quibusdam passim ereptis, quibusdam ambiguitatibus, anigmaticis involutis faceret, ut nescires,
 cui

cui sententia ad stipularetur, & aliàs totò
 absurditatibus & impietatibus scatebat.
 Etsi autem non deerant, qui conciliationis
 istarum consilium prorsus auersarentur,
 ut quibus nihil aliud ageretur, quàm
 quod flexiloquis, ambiguis, fucosis &
 fallacibus articulis prestigiarum praesidia
 pararentur aduersus Ecclesiae Orthodoxae
 cōsensum, turbarentur pia mentes, & ac-
 censis magis quàm sedatis certaminibus
 veritas euertetur: Quia tamen Caesar
 tantum praese studium inquirenda veris-
 tatis ferret, librumq; ea conditione obtu-
 lisset, ut libera de contenta materia sen-
 tentia dicerentur, nec iudicium sapientis-
 simi Imperatoris, ne eo quidem inspecto
 tam leuiter estimari conueniret, vince-
 bant suffragijs ij, qui hanc rationem des-
 clarationi Confessionis Augustanae com-
 modam existimabant, imprimis si viri
 probati adhiberentur, qui disputationum
 summas ad Caesarem fideliter referrent:
 Ita illum à priore seueritate aliquid re-
 missurum, neq; Protestantibus tantopere
 succensurū, ut cui persuasum à Sycophātis
 esset, quod studiosè contentiones alerent,

& compendia emolumentaq; quaedam cap-
 ptarent, instigati ab alijs, quibus volupe
 esset Germaniam turbari: usq; auspicijs
 toti doctrinae equiorem futurum, siquidē
 nequaquam tantis eam absurditatib; &
 impietatibus refertam, finemq; nullum al-
 lium, quā gloriā Dei, & animarum sal-
 lutem propositam rectius cognosceret. Ma-
 iorem etiam humanitatem ceteros princis-
 pes praestituros, si de tota causa ordine,
 quae acta essent, fideliter ipsis recitaretur.
 Ad hoc colloquium à Cesare tres Pontifi-
 cij, & totidem ex Protestantium numero
 Theologi designati sunt, additi praesides
 duo, Fridericus Palatinus & Granuellae-
 nus, adhibiti quoq; testes & auscultato-
 res sex, inter quos Eberhardus à Rude Al-
 berti Moguntini consiliarius cum comite
 Manderschitto praecipuum locū tenebant.
 Sic factō disputandi initio de conditione
 hominis, de lapsu, de libero arbitrio, de
 causa peccati, de vitio Originis facilia &
 plana videbantur pleraq;. Conuenerunt
 etiam in articulo iustificationis hominū.
 De synodis acriter dimicatum est, Liber
 ille

ille de Ecclesia loquens imaginem quandã
 politici regni concipiebat. Nam in intera
 pretandis scripturis pratoriam sibi potes
 tatem arrogabat, sicut pro temporum ras
 tione noua leges in Imperio conduntur,
 iubebatq; quod à maiore parte conclusum
 statutumq; foret ratum haberi, neq; pau
 cioribus iustè dissentientibus iudicia eius
 modi in dubitationem rapere permette
 bat. Et cum Synodi errare non possent, illis
 sine exceptione obediendum statuebat.
 Sed à Protestantibus responsum est: Non
 eandem esse regni & Ecclesie Dei conditio
 onem. In illo enim pratoriam potestatem
 habere ius interpretanda & corrigenda ab
 rogandaq; legis, quæ subditis parendi ne
 cessitatem propter auctoritatem magis
 stratus, & rationem probabilem, Deumq;
 ipsum, qui superiorum iudicia priuatis
 consilijs anteferrì vellet, imponeret: Sed
 hunc cœtum, qui Ecclesie nomine censere
 tur, & vera inuocatione Dei à reliquis
 gentibus discerneret, à Spiritu sancto
 regi, nec ad certas personas alligatum, qui
 ex suo cerebro pro arbitrio viuendi normã

præscriberent, sed semper pios aliquos exci-
 citari, quibus donum & lumen diuinum
 sapientiam in Euangelio traditam intellis-
 gendi conferretur. Nec esse nouum, in Ec-
 clesie iustauratione doctrinã illam ab uno
 vel paucis in lucem reuocari, & taxari er-
 rores, quamuis à maiore & primaria popu-
 li parte defenderentur. Sic Eliam, Ieremiã,
 Iohannem Baptistam, & alios ab ordinaria
 potestate & reliqua multitudine secessionẽ
 fecisse. Mandatum uniuersale ad singu-
 los pertinere, ut quid sentirent, profite-
 rentur, & quando uocatio postularet, er-
 rorib, gubernatorum & populi contradice-
 rent. Quod si Synodis ea auctoritas tribue-
 retur, quod error in illas non cadat, erroris
 sentinam ipsam aperiri, quæ totum orbem
 Christianum peruadens infinitis malis in-
 undatura esset, neq, sanè disputationes aut
 colloquia profutura, nã ex hoc fundamen-
 to iudicandi facultatem reliquis præcidi.
 Et quanquã ipsi hoc concederent, alios ta-
 men pios & posteritatem rectius sentien-
 tem non probaturam. Introducebat quoq,
 Hierarchiam liber regni Pontificij, & alligabat
 Ecclesiam ad ordinariam Episcoporum
 successio-

successionem, eorumq; leges. Nominabat unum Monarcham & solum Romanū pontificem, à quo ceteri per gradus docendi & administrandi sacramenta potestatem acciperent, & excitande pietatis ergò, fulciendæq; fidei causa leges conderet, quibus necessario obediendum esset. Si qui verò ab ijs discederent, nec ius ordinaria successionis agnoscerent, ab Ecclesia exclusos remouebat. Negabat enim, extra hanc ordinariam successionem esse vel ministerium vel delictorum veniã. Cum igitur laboriose certaretur utraq; suã laudante sententiã & defendente parte, disputatio illa suspensa est, cœperuntq; de Sacramento cœnæ & transsubstantiatione panis agere. Cum & hic odiosius contenderetur, eo misso ad locum de pœnitentia accesserunt, & de enumeratione delictorum in confessione, de satisfactionibus, de gradibus, & Episcoporum & Romani Pontificis potestate, de inuocatione Diuorū, applicatione Missæ, priuata missa, usu integra cœnæ Dominica, & de reliquis capitib. actum est. De his & reliquis, quæ defini non potuerant, utraq; pars sententiam suam scripto exhibuit.

Ad extremum coronidis vice veteres Canones de coniugio Sacerdotum recitati sunt, & quanquam eius causa statum ad deliberationem summorum Monarcharum reijceret: non tamen obscure coniugium illud iuxta veterum Canonum normam approbabat. In hoc colloquio Pontificij confessionis Augustane mutationem inuidiosè multotiens occinebant, & ex ea doctrina incertitudinem deducebant, sed istis communi Theologorum consilio grauiter responsum fuit, nullam agnoscere aliam confessionem, præter eam, qua anno tricesimo Cesari & ordinibus Imperij exhibita fuisset, huic ad ultimum usq; vite spiritum inhasiuros atq; immoratuos. Et quando quidem ea quoq; res ancipitem cogitandi curam Theologis afferret, intentione Philippici requisita iudicarunt, etsi quaedam allicubi melius declarata forent, in alijs tamen scriptis extra hanc principum confessionem istud aequè, & quidem rectius fieri potuisse. Itaq; ut in articulis, collocutorib. Cesari, & Ordinib. exhibitis, clausula illa de cœna Domini omissa disertè & clarè restitueret

stitueretur, perfecerunt. Ad eummodum quibusdam dogmatib. conciliatis, Ioachimus Elector dereliquis etiam componendis spē concepit. Vocatis igitur ad se Theologis ad persuadendū varijs vsus argumentis, & in prolixā ingressus orationem, Etsi, inquit, non dubito, vobis inprimis, qui periculo proximi estis, hos dissidiorum aestus grauissimos esse, & absq. mea admonitione facturos, quod ad reipub. Christianae salutem & commodum pertinet, attamen ut constaret vobis, quantum in hoc rerum statu mouear & doleam, & quanto opere eum feliciorē imò felicissimū cupiam, paratusq. sim, huc asferre omnia, quae à principe Electore patriae amante proficisci queunt, currentibus calcar addere volui, meamq. vestre operam aggregare, si forsā mihi gratiam Dominus largiretur, ut aliquid subsidij ad hac consilia perficienda adderem. Idq. maiore studio mihi faciendum putavi, cum alios vobis esse hortatores ad facienda ea cernerem, quae reipub. non intersunt. Quid enim boni secum pertinacia illa traheret? unde maiora

E s ra mala

ra mala quàm ex contentionibus nascuntur? Contra quid dulcius concordia, quid optabilius pax? sed quorsum attinet, apud vos viros pios & sapientes, quibus omnium temporum cognita sunt historia, & quos huius seculi dissensiones sæpè deplorare scio, hæc odiosius repetendo inculcare. Dolorem tamen meum dissimulare non potui. Nam cum hæc & similia cogito, quæ breuibus tantùm attingo, vehementer afficior, sed maximè, cum video, quo multorum deliberationes propendunt, & meo tuo, ne aestus ille aliquando in eiusmodi incendium erumpat, quo vniuersa Germania conflagret. Itaq; dum adhuc disceptationibus amicis res illa permittitur, cedendo concedendoq; parumper, de ijs rationibus, si vllò vnquam tempore, hoc certè nostro deliberandum censeo, ut publica tranquillitati suus maneat honor, sua paci reuerentia perstet, quamuis vel cum magno damno coniuncta sit, tanquam bello longè meliori. Nam si res eò, sicut quidem omninò spectat, veniret, Deum immortalè, quàm tristissimus esset rerum status secutus
 rus?

rus? quæ facies imperij, qui patria vltus?
 Illi in mutuum excidium ruerent, qui sibi
 arctissimo uinculo deuincti sunt: una pars
 confœderationibus confidit, eaque contem-
 nenda non est: altera potentia subnixâ
 Imperio inhaeret, nec illa ullo modo inferior
 est. Vtraque causam se iustam tueri, ius-
 dicat, ideoque ad auxilium diuinum prouo-
 cat, in eoque praesidium maximum reponit.
 Quamuis autem mihi iudicium in tanta
 controuersia non sumo, attamen quàm
 fallax sit confœderationum ratio, euentus
 saepe ostendit. Cum autem Casarem intueor,
 illum extra Germaniam quoque destitutum
 ab omnibus potentiss. esse intelligo, qui per
 sapientiam, virtutes heroicas, veteranorum
 Hispanorum, Italorum & Germanorum ex-
 ercitum vel uictus uictoriam inuitis triume-
 phantibus detorquere & leoninam detrahere
 posset: Quantus hic se metuendi omnia
 campus aperit? quod si peregrinae nationes
 in Germaniam uocentur, quid futurum spes-
 ratis? aut nulla erit religio, aut illa quam
 Caesar uolet. Cades in infinitum grassabitur,
 veterum legum ordine perturbato, corrupti et
 bonorum

bonorum morum & disciplina laxatio, lasciuia, libidines horrenda, infanda, nobis incognita & inaudita existabunt. Hostilis exercitus in sedibus nostris & regionibus grassabitur, in singulis ciuitatibus varias seditiones obsequia debita experientur. Nulla vrbs erit, qua non patiendo haec mala ferat, populationem agrorum, patriae expugnationem, vastationem aedium priuatarum, mutationem praesentis status & legum, tantaq; oborietur dissidentia inter nostros ipsos, ut magis in ciuium quam hostium fortunis intenti futuri sint. Ab alienata inter se voluntates, auersi animi erunt, ut vix multo tempore recoalescendi facultas suppetat. Qui opibus abundant, malent eas abijcere temere, vel peregrinis hostibus permittere, quam alijs adesse. Alij vero qui minus re familiari instructi sunt, volent aliena potius rapere quam sua tueri. Quid quod innocentes abstrahentur aris, immo ad eas iugulabuntur. Neq; tam terribilis vlla fandi ratio se offeret, aut vllum malum tante atrocitati affine, quod non ferendo esse cogantur

gantur

gantur cum noxijs innocentes. His malis
pertinacia vestra causam & alimenta
dabit. Satius igitur est, vos aliquantum
de vestra sententia aduersarijs concedere,
ut potius mediocres & aliqua Ecclesie quã
nulla restent, inprimis in rebus externis,
cum illi vobis multa in illis, quæ ad doctrinam
ipsam pertinent, largiti fuerint.
Quod si Augustino & alijs Patribus quæ-
dam perperam dicta & tradita condonentur,
idem hoc tempore si fieret, in represen-
tationem minimè caderet, inprimis cum
eius singularis quasi beneficij usus apud
multas alias gentes futurus sit. Imperator
enim, quo hæcenus nemo moderatio-
ra consilia tractauit, & solus à vi armata
abhorret, eius omnino est sententia, ut
vel inuito & succensente Pontifice Roma-
no Germanorum iudicia in his controuersis
suis tollendis valeant, & doctrinas concilia-
tas, iusticiã fidei, & alias in regna & na-
tiones remotas propagabit. Sic conscientijs
piorum, quæ desiderant quorundam rituum
vitioforum emendationem, rectè con-
sultum iri, sic paulatim vniuersum Ecclesie
sic

sic corpus coiturū in concordia videbimus.
 Tanta bona si quis prudenter impedit, isti
 Ecclesie salutis curae esse nō videtur. His ad-
 iumento imprimis magno erit illud, si Pon-
 tifici Romano & Episcopis dignitas sua in-
 tacta & integra relinquatur. Et sanè ordo
 & nervi bonae gubernationis & disciplinae
 vincula soluentur, si Episcoporum Cano-
 nes tollantur. Quid si non eorum censuris
 & pœnis Ecclesiasticis delinquentium pe-
 tulantia infringatur, quanta confusio ex-
 cipiet seculum nostrum? Non quidem ne-
 gatur, Ecclesiae res admodum deformes esse
 redditas Pontificiorum culpā, turbatos do-
 ctinae salutaris fontes, inuicta à mona-
 chorū gregib. monstrosa & inepta dogma-
 ta, quae partim ex inerudita Philosophia,
 partim ex Pharisaeicis superstitionib. nata
 sunt, agnoscuntur liturgiae vicia plurima,
 peccant Episcopi nimia & plusquam regia
 dominatione usurpata, excedit modū col-
 legiorum luxus, sed haec toleranda potius
 sunt, quam ut nullus prorsus sit ordo, nullū
 imperiū, quod est omnium malorū extre-
 mum. Praetereo quod illorū emendationem

Contas

Contarenius legatus Casari, & legato Episcopi seriam his diebus promiserint. Cum igitur certaminum aliàs neq; modus neq; finis sit, peto ne vestra obstinatione bona multa, quæ conciliatos articulos cõsequens tur, impediatis, neq; calamitatibus infinitis fenestram aperiatis, sed quantum in vobis est, studium concordia adiuuetis, Casarem & omnes bonos ea molestia, qua nos incredibiliter torquet, liberetis, efficiatisq; ne per vos stetisse videatur, quo minus res publica in pristinam tranquillitatem seposita diffidentia restituatur: Veniat vobis in mentem, immodicum libertatis usum seruitutis quandoq; occasionem fuisse. Orbes cælestes miris anfractibus sibi mutuò cedunt, ut harmoniam eo obsequio tueantur: Sic certè nos quoq; decet ferendo, cecedendo, & placidè contrahendo concordiam retinere, & cursum susceptum absoluerè, donec melior serenitas Ecclesie affulserit, & tempora commodiora se dederint. Istud vobis gloriosum erit apud omnes, quorum iam in hunc conuentum intenti sunt oculi, & desideranter iudicia vestra expectant.

&

Et hoc seu beneficiū seu officium ad multas
 nationes pertinebit, quæ vobis perpetuas
 eo nomine gratias actura sunt. Postulāt id
 vestra Ecclesia, quæ ut donata securitate
 et pace fruatur in intimis votis habent.
 Casari quoque ipsi nihil gratius facere potes
 ritis: Moueat tandem vos vestrū vestros
 rumque periculum: Etenim si vestri similes
 perpetuo esse pergatis, quid aliud possumus
 statuere, quam vos de industria dissidia
 alere. Erat omnino Ioachimus Elector Cas
 saris et Ferdinandi Regis obseruantissia
 mus et studiosissimus, totusque ab ipsis pen
 debat. Et quia illis concordiam gratam
 cognosceret, hanc rationem ipse suscepit,
 eiusque auctor Casari fuerat. Quamuis au
 tem Euangelij doctrinam amplecteretur,
 et in ditionem suam propagasset, ceremo
 nias tamen plerasque, sicut in Papatu rece
 pta fuerant, retinebat, quod faciebat,
 tum ut illos, in quibus Pontificia admiratio
 idolatriæ altas radices egerat, neque facile
 extirpari posset, paulatim inuitaret,
 tum ne Casarem alieniorem à
 se faciendo offen
 deret.

NICOLAI LEVTINGERI
DE MARCHIABRANDEBURGENSI EIVSQ;
statu, IOACHIMO I. IOACHIMO II.
& IOHANNES GEORGIO Burggraviis
Norinbergensib. Sacri Rom. Imper. Prin-
cipibus Electoribus Partis II.

Liber secundus.

A Bea oratione Principis Theologi
diligentius deliberarunt, quid
ipsi respondendum esset, rogata
taque sententiae variauerunt.
Quidam metu belli civilis haud stultè mos-
uebantur, & periculum exaggerantes,
quanta id incommoda traheret, diuina-
bant, iudicabantq; si moderatio quadam
admitteretur, Ecclesiae istud perutile fut-
urum, inuitatam enim iri confirmatamq;
Caesaris voluntatem, quae in iuuando orbe
Christiano praecleara esset, ut dogmata con-
ciliata ad alia quoq; regna propagarentur,
qua ratione pontificia auctoritas paulatim
in contemptum vocata occasione praes-
beret infirmis, ut secessionem tandem omni-

F

no fas

nō facerent. Reliqui verò diuersum sentiebant, qualiacunq; nimirum essent pericula extimescenda, vel etiam experienda, non tamen propterea vera doctrinae confessionem timide & impiè abijciendā. Negari enim non posse, humanis omnibus casibus ex prescripto verbi diuini veritatem anteponendam, mirabanturq; ijs fidem haberi, qui de pace receptis quibusdā erroribus tam egregia pollicerentur, quae tamen penes ipsos nequaquam staret, neq; enim illam ea condicione à pontifice unquam impetratam iri, nisi regnum suae dignitati integrè restitueretur. Deinde, quamuis ista ita fieri suis suffragijs patebantur, cogitandum tamen, an hi calculi apud Ecclesias Germaniae & reliquos ministros tantum pondus habituri essent, ut propter paucorum approbationem & ipsi errorum rei fierent, sibi quidem verisimile non videri. Certius autem certo fore, se eo nomine apud Deum in grauissimam pœnā & asperissimam apud omnes reprehensionem incursuros, ut qui maiorum discordiarum semina sparsissent, quae spinae

nas

nas lethales gignerent, quibus tandem & ipsi suffocarentur. Verè sophisticis illis præstigijs nihil aliud agi, quàm ut doctrina vera opprimeretur. Olim in Synodo Syrmienſi Constantium per diſſidentes Eccleſias conciliationi ſtudiſſe, & partem neutram offendere voluiſſe, eo conſilio Symbolum Nicenum, non errore ſublato, ſed fucato mutatum eſſe, inueſtigatamq; vocem dubiam & ambiguam, quæ ſicut cothurnus viriq; pedi accommodaretur. Sed iſtam ambiguitatem certamina longè atrociora quàm antè excitaffe. Idem iam omninò fore. Nam in eum finem gloſſas ſophiſticas excogitari, & proponi articulos flexiloquos, ut errores & abuſus obductis fucis inſtaurarentur. Largiri quidem aliqua, ut nimirum dulcedine quaſi eſcæ inſuetæ delinuti accenſiq; , eò cupidius reliqua arriperent. Quod etiam tanta bona ex hoc quaſi fonte promanatura promitterentur, fieri huius ſæculi more & conſuetudine, viros conſtantes & cordatos ijs non uſq; ad eò moueri oportere, ſiquidem in civili uia multi ſomniantes nobis polliceremur,



quib. nihil minus quàm euentus responde-
ret. Mandatum igitur Dei editis impe-
ratorijs & omnibus bellis anteferendum,
constantia nq̄ in confessione prestandam,
Deoq̄ exitum commendandum, nec dubi-
tandum, eum, qui præcepisset, ut cuncti
rectam doctrinam Ecclesie iuuarent, hoc
quoq̄ tempore suis, quibus hoc negotium
serio cura foret, mirabili præsentia auxiliij
adfuturum, additurumque Casari aliam
mentem, quàm illi vellent, qui ad crude-
litatem ipsum accensum sine modo insti-
garent. Libere tandem Imperatori & qui-
buscunque alijs inquirere, in qua parte
mundi Ecclesie melius constituta, disci-
plina seuerior & probior, legum reuerentia
sanctior, & ordo pulchrior exstaret, se-
quidem suo consensu nunquam in aduer-
sarijs Euangelij odium, & in alijs spem
defectionis confirmaturos, quin secundum
Christi & martyrum exemplum, quibus
volupe fuisset pro gloria Christi vita des-
fungi, quauis non sine summis crucia-
tibus sustinendis fuissent, nullam suppli-
cium subterfugere & deprecari. Denique
petere

petere, ut in hac mente & constantia spiritu suo Deus, cuius hac propria esset causa, propositum augetet & conseruaret. Hac cum valuisset sententia, communi consilio Joach: Electori modestè respondent: Tractationes reliquarum controuersiarum suspendendas, & in aliud tempus reijciendas, donec à Cesare & ordinib, in utraq, parte sententiæ de conciliatis capitibus dicta fuissent, in quibus fortassis collocutorum iudicium neutris satisfecisset. Ita quid cum Theologis egerit Ioachimus Elector, omne ad Casarem refert, qui consilium hoc secutus in pleno principum Senatu exponit, multa esse dogmata conciliata, & spem sibi factam, reliqua quoque iri composita, petere ut deliberetur, quid factu opus sit. Hic Guilelmus Bauarie Dux, criminationem sociorum Augustanae confessionis prolixam de scripto recitans, coniurationem istam in Casarem non esse ferendam, nihilq, illis esse concedendum, quod ab usitatis hæctenus in Ecclesia Romana opinionibus, approbatis à concilijs & Pontifice, ceterisq, ceremonijs reli-

quarum nationum discreparet, acrioribus verbis contendebat. Neq̄, quidquam sibi cum libro illo, in quo Melanchthonis & hæreticorum vestigia subinde apparerent, commune futurum, sed in auita & antiqua religione perstiturum. Principes verò protestantium nominis non quidem repugnabant, quò minus articuli conciliati reciperentur, sed necesse sibi videri, ut ambiguitatibus inuoluta planius explicarentur. Tandem Ioachimus Elector rogatus assentientibus Coloniensis Archiepiscopi & Palatini legatis censebat, istos omninò articulos accipiendos, ceteros autem indefinitos vsq̄ ad Synodum vel alium conuentum reijciendos, eaq̄ occasione in Bauarum animi eius impotentia motus, stomachosus inuectus est, docuitq̄, vehementiam istam sibi prorsus improbari, longè alias rationes, quib. animi coirent, & componerentur controuersia, inueniendas. Et postea, cum frustra conciliationes tentatas animaduerneret, dixit, se Deo gratias agere, quòd hæc consilia impedisset, quod ys manifesti errores & abusus

in Ecclesiam introducti fuissent, quos per
suasus ab alijs tunc non vidisset. In comita-
tu suo Georgium Sabinum Brandenburgensem
Princeps adduxerat Ratisponam, cui
Cesar virtutis causa ornamenta nobilita-
tis auctoritate Imperiali, approbante Prin-
cipum, Comitum, Baronum, aliorumque pro-
cerum assensu, & Sacri Romani Imperij
Senatu, cum antea Palatinus Lateranen-
sis, & eques & poëta Laureatus Venetijs
apud Diuum Eustachium ab Hieronymo
Aleandro Archiepiscopo Oritano & Brun-
dusino creatus esset, in hoc conventu so-
lemniter contulit. Petebat tunc Philippus
Pomerania Dux à Cesare inaugurationem
nem ditionis sue, de qua cū Ioachimus Ele-
ctor monitus esset, suos quoque legatos ce-
remonijs consuetis interesse iussit. Duran-
te hoc Comitio, Tyrannus Turcius, quam-
diu meditatus fuerat expeditionem, in
Vngariam parabat, immensa fundendi
sanguinis Christiani cupiditate spirans,
cediumque appetens & humanorum excidia-
orum, Budam cum Pesto occupans, victo-
riam suam in crudelitatem promiscua ce-



dis audis, nihil quidquā sexui, aut condi-
 tioni deferendo vertebat. Sed & nulli reue-
 rentia, miserationis, aut verecundia respec-
 tui indulgens omnia cruore respergebat,
 & cōmunis stragis sauitia violabat. Huius
 ut Tyrannidi maturè cū copijs immanit a-
 rem istam vlturis obuiā iretur, conuentus
 Ordinum Spira indictus fuit, & paulo post
 militū per vniuersam Germaniam delecto
 habitus. Contributio illa, Turciā quā voc-
 cant, qua viritim colligitur pecunia, omnium
 um ordinum consensu extra ordinem de-
 creta, hac occasione primū cepit. Summa
 rerum de voluntate Caesaris & Imperioz
 achimus Elector praefectus est, qui mox
 promptissimā gerendi belli fiduciam men-
 te praesumens ad exercitum proficiscitur.
 Sed statim initio difficultates maximae il-
 lius virtutem exceperunt, quibusdam mi-
 litem non mittentibus, quibusdam pecu-
 niam non conferentibus, nervis rerum ge-
 rendarum praecisis: alijs tardius & non
 plenè mittentibus. Bellica quoque instrus-
 menta, quorum semper usus in bello maz-
 ximus est, quod fides in eo quorundam des-
 sideras

sideraretur, oportune aduecta non sunt.
 Dubium quidem non erat, Gallie Regis
 ista artibus fieri, qui hanc in comitijs Spi-
 rensibus per legatum expeditionem acura-
 re dissuaserat, ne Caesaris forsam & Ferdin-
 nandi potentia, quam alias sibi suspectam
 & inuisam egerrimo animo ferebat, ac-
 cessione nimia adangeretur. Non tamen
 deerant, qui aliam causam obducerent.
 Res itaq; feliciter geri non potuit, & ab
 ipsa oppugnatione Pesti re infecta igno-
 miniose discedendum fuit. Hinc factum,
 ut male administrati belli culpam in Io-
 achimum I. Electorem homines profani
 reijcerent. Inter quos nominis erant Italici,
 qui odio virtutis, religionis & Imperij
 Germanorum, egregios illius conatus va-
 nissime sugillando turpiter traduxerunt,
 cuius tamen excellentia facta in superiore
 praelio peragendo, & maximis Europa mor-
 tibus componendis, tutanda patria, &
 constituenda perpetua Imperij forma sem-
 per enituerunt. Sed quomodo Principi Pro-
 testantium religionis parcerent, qui ab
 Augusta Caesarum maiestate infectatio-
 nibus

nibus temperare non consueverunt. Germanos verò vulgò ita contemptos habent, ut vasa vinaria, ad pastum & somnum nata, amphoras Bachi, ignavos & stertentes, vix scapulas gestantes crebrò nominent, qui pro armis vino pugnent, pro virtute crapulam, cunctis sobrietatis partibus exuti, proflantis indigestam ventris saniem foetido oris anhelitu ruētent, tantumq̃ habeāt virium, consilij & industria, quantum vini capiant. Quos delicata in-tempestiva gula corruptela, amplissimis ab omni continentia excessibus oberrantes, mollescat: Quorum bellica claritas non in virtute, cuius sint vacui, & ne maximā quidem umbram consequantur, sed in conuiualibus illecebris sit posita. Talis inter alios fuit Paulus Iouius iste Nonocomensis, Episcopus Nucerinus, qui sicut de plerisq̃ Germanis eorumq̃ rebus gestis sinistrè iudicat & scribit, ita hunc quoque Principem acerbissimè insectatur, quòd egregium exercitiū ocio inertiaq̃ corruperit, & conuiuium magis quàm bellum amplexus, fluxamq̃ & voluptuariam vitam degens.

degens, degenerem spiritum, atq; à parentum vestigijs obliquo longe colle distortum in ebrias crapula voragines precipitauerit, & pristinos fortitudinis titulos effœminatis voluptatibus contriuerit, potuq; nimis auide & copiosè sumpto vires sensusq; exuens occasionem rei benè gerendæ amiserit. Et quòd cum vix tandem a vino somnoq; ad Pestum oppugnandū excitaretur, cunctaq; armis & tormentis perstrepent, periculo se subtraxerit, ut nusquam conspiceretur, Saxoniam potius se & atus illecebram. Quàm verò impudentissimum hoc sit mendacium, Ferdinandi Rom. Regis querela in comitijs Norimbergensibus os proteruum uanissimo scriptori obtundit, qui veras attulit causas, propter quas belli administratio quiesceret, & non sine summo Imperij detrimento & dedecore consisteret. Sed his coniunctæ erant aliæ quoq; difficultates, quæ impedimenta maxima afferebant. Caesar enim in expeditione Africana naufragio perÿsse pisciumq; cibus factus constanter ferebatur: in Germania belli tumultus erant, Saxone

Saxone & Landgrauio ad Marchie fines
 in agrum Emerici Brunsvicensis mouentibus,
 quem capta arce Lycaonica in suam
 potestatem perduxerunt. Hac res effecit,
 ut quisq; saluti sua propiorem se, quam a
 liena fidei crederet, & ut ordines alienae
 rei repetitionem quam propria defensionem
 languidiore studio profecuti, exterius
 no pugnae proposito domestica curam praes
 ferrent, & neq; arma, nec militem, neque
 pecuniam oportune subministrarent, ne
 scilicet naufragio perirent ipsi, dum nauis
 gium ab hoste vindicare contenderent. Et
 tanto se offerebat difficultas maior, quanto
 to internum sese discrimen extero atroc
 ius infert. Praeterea Gallie Rex Brabantiam
 & agrum Lucelbergensem ad fines
 Imperij oppugnabat. Nec Ungarorum sub
 sidium recte adfuit, cum enim ordinum
 dissidia animaduertent, difficulter ad
 reliquas copias concesserunt. Ipsius tandem
 militis, stipendiorum solutionem poscentis,
 grauissimum supercilium expertus est. Per
 stum autem cum esset rebus omnibus ins
 tructissimum, & murorum firmitate, mis
 litum

litum presidio, situq; loci munitissimum, expugnationis facultatem omnino negabat, nec capi poterat, nisi arctissima obsidione Imperium persequeretur. Parmalum erat, quod ingens in castris fames militem depascebat, ut non tantum accisis viribus marcore dextra pigrior in arma perueniret, sed graui etiam morbi contagio quotidie absumeretur; postquam ter ter corruptorum cadauerum odor pestiferam exhalatione diffusus propius habitantem sine modo sauciaret. Hac vera erant rei bene gerende impedimenta: absq; his si fuisset Scanderbeciana, profecto virtute opera transcendisset, Turcisq; tempestas longe acerbissima imminuisset. Quibus tamen non solum conserende manus fiduciam abstulit, sed carpende quoq; fuga cupidinem incussit, ut ipsorum in Thraciam reditus cunctis ignominie partibus affinis censeretur. Neq; n. inuicta virtus, quamuis detractionum laqueis implicatur, inuicti animi fiduciam abicit. Quantam vero in eo ipso bello rerum iacturam fecerit, Marchia adhuc hodie crebris querelis stoniceas

contestatur. Dum enim as alienum gran-
 de Princeps contraxit, illa miserè postea
 vexata est. Sicut eo quoque nomine Ioachis-
 mo Duci Munsterbergio in Silesia Episco-
 patus Brandenburgensis cessit, aliaque alijs
 sunt ad tempus oppignorata. Interim ini-
 quissimè accusatur Princeps forissimus ab
 ijs, quib. par pari referre possemus. Sed ex-
 probrationes exprobrationib. pensanda non
 sunt, cum conuicia in caput auctoris reciden-
 tia virtute eliduntur. Qui verò sunt, qui pro-
 iectis patrijs virtutib. Romanisque exemplis
 effæminata lasciuia succubere non erubes-
 cunt? nonne, ex quorum sentina in pa-
 tria nostræ fauces luxuria nutrimenta
 fluxerunt? Unde splendidiores culina, sord-
 dida coquorum ministeria, variaque vis-
 rorum sordes emanauerunt? Nonne ab
 illis, à quib. licentioris quoque cultus usura-
 patio ad nos deuenit? ita Germania nos-
 tra luxum & delicias ab illis deposcit, ne
 quid de fæditissimis illorum libidinibus diz-
 cam. Vbi sunt plures Pathici? ubi Drauci,
 Cynedi, Pædicatores, Ganymedes, Pusero-
 nes, Pusiones, Catamui, Arsinoceta, libidis
 nosi,

nosi, Venerei, ebrij? interim istis Mauors
 est in lingua pedibusq; fugacib., vt Italus
 de Italo canit. Quis autem in eam se opi-
 nionem adduci patietur, vt credat, Prin-
 cipem tantū in nidore sordidorum Hunnos
 tūculine irrestricto palati pruritu accenso
 Vngaria rusticitates petuisse, vt stomas-
 chi delicati ingluuiem operosa dapum va-
 bertate farci et, aut apparatusissimis vi-
 nis luxuriosas mensas cumularet. Quis
 credat factum & non fictum esse, ut qui
 ante annos decem insignes copias excelsa
 lenter contriuerat, isti iam apparatusi tre-
 pide cederet, portamq; gloriam fuga &
 formidinis tabe in oppugnatione castelli
 macularet. Dubium autem non est, tales
 suggillatores à profanitate, inuidia, &
 mendacio suas rationes mutuari, & ideo
 ad stipulari, quod non ita pridem à Pon- LXIII
 tificiorum idololatria Princeps defecerat.
 In hac expeditione Philippus Pomeranus
 Iohannem Fridericum ex Maria Iohannis
 Electoris Saxonie filia XVII. Augusti sus-
 cipit. Domum Ioachimus reuersus ex bel-
 latore exactissimum pacis custodem agere
 cepit

cevit, tantū in posterum decoris in otio &
 vacatione armorū constituens, quantū an-
 tea in victoria repositū gloria existima-
 verat. Ut autem sicut in belli rigore, fortis-
 tudinis, ita in pacis amœnitate iusticia ra-
 tionem haberet, qua fulgorem patriæ per-
 petuo felicitatis habitu splendescere cens-
 sebat, ne tranquillitatis incessus ullo ma-
 lignitatis obstaculo laederetur, aduersum
 furti & latrocinia, tanquam familiaria
 mala & domesticas pestes seueritatem su-
 am distinxit, quibus vacuefacta regionis
 amplitudo securiorem vitæ usum appras-
 hendit. Leges etiam sumptuarias tulit,
 quibus luxam inhibebat omnem, sed ut
 sit plerūq; in vetitum obliuiscata est impro-
 bitas, non tamen impunè, sicubi depre-
 henderetur. Cū fortè his diebus stratio-
 tas ires in via pub. Berolini thorace & calis-
 gis laxè & monstrosè scissis & longè turs-
 piterq; ad talos usq; propendentib. obam-
 bulantes conspiceret, qui in eo superbiens
 tes habitis, ut singulare luxuriei spectacu-
 lum ciuibus præberent fiducines cantu præ-
 euntes conduxerant. Ira igitur & indig-
 natione

gnatione perfusus eos cōprehendi et in carcerem cancellatum per triduum duci iussit, quibus fidicines, ne deessent spectatores, accinere toto illo tempore non sine pretereuntium subsannatione coacti sunt. Iustitia iuxta & humanitatis tā in peregrinos quā suos studiosissimus. Cum per Ecclesias etiam multa sinistrè agerentur, & in cōstituendis pastorib. idoneis et conferēdis beneficijs et redditib. Ecclesiasticis equitas et pietas nō ubiq̃, correspōderet, visitationē uniuersalem instituit, qua multum religioni eiusq̃ doctoribus commodauit. Iudicium quoq̃, Ecclesiasticum quomodo rectè constitueretur, cum suis deliberauit, visumq̃, est ut Georgius Bucholzerus Prepositus ad Martinum Lutherum Vitebergam ablegaretur, qui constitutiones illius loci describeret. Qui sanè, quòd cōsiliū laudaret, principemq̃, amaret & magnificeret, haud grauatim archetypū formæ illius Bucholzero communicauit. Tunc adem Monachorum Franciscanorum Colonia ad Sueuum, qua primū conditore Ludouico Romano ceperat, ad dignitatem Ecclesiæ collegiatæ & cathedralis

G dralis

dralis sollicitis impensis perducit, locumq;
 sepultura Principum Electorum de-
 signat, & eò exuias patris Lenino, quod
 est in vicina Brandenburgi ad Havelum
 monasterium ditissimum, ab Ottone Al-
 berti Vrſi filio anno M.C. LXX. condi-
 tum, religiosè transfert, quas tùm insi-
 gni tumulto tradit, tùm plenis veneratio-
 nis exequijs decorat. Vix alibi tantum sa-
 crorum apparatus, tantamq; magnifi-
 centiam eorum atq; in hac æde inuenias.
 Apud exteros eo nomine longè est cele-
 bratissima. Statuas Christi & Mariæ ex
 solido auro & gemmis preciosissimis, A-
 postolorum omnium & sanctorum ex ar-
 gento viderelicet. Cæremonie, quarum
 adhuc obseruantissima est, sic tamen vt
 puritati Euangelij suus constet honos &
 reuerentia, non nisi vasis & materijs ma-
 ximi precij peraguntur. Res sacratæ, qua-
 rum vsus est in eiusmodi negotijs, omnes
 auro insignes sunt & argento, ornamenta
 templi & aulea purpurea, quæ singularia
 sunt, & cum quavis regia magnificentia
 certant, non nisi diebus festis aut illustri
 principis

principis pompa proferuntur. Campanæ & rhopala stupenda sunt admirationis. Chorus ex pietatis & doctrinarum studiosis, unde postea ad scholas & Ecclesias procurandas mittuntur, legitur. A multis hinc inde venientibus visitur, & multa visu digna habet. Aede perfectâ palatiū ad Suevi ripas magnificentissimum excitat. In eo lapidibus incisæ sunt imagines principum Germaniæ. Exstructum simul armamentarium & curia Senatus aulici, cepitq; Berlinum alium induere vultum. Dum ita urbem exornant, interim Georgius Brandenburgicus in Francia Orientali piè ex hac vita XXVII. Septemb. die, ætatis anno LIX. decedit. Constantis ille & Pij cognomen obtinuerat. Cuius gloriæ etsi Iohannes Dubravius Bohemus in historia gentis suæ inuideat, eiusq; res gestas odiosius attingat, attamen, quàm iniquè agat, satis constat, credetq; posteritas magis innumeris bonorum præconijs, quàm uni Dubravio, in gratiâ pontificiorum omnia fingenti: Sicut autem cunctis ex æquo Elector prodesse credebatur, ita Marchiam,

G a

que

quæ nunc à Polonis, nunc Bohemis, nunc
 Pomeranis, nunc Megapolensibus alijsq;
 vicinis populis, imprimis Vandalis, creber-
 rimis bellis vastitates ingentes perpeffa
 fuerat ante ea tempora, multis operibus
 immensis & præclaris monumentis egre-
 giè ad iustam magnificentiam efferre ob-
 nixè laborabat, ut verè de illo diceretur,
 quod olim in laudem Domitiani Caesaris
 decantatum fuit. AEdificare gaudes, &
 Marchia fieret, splendida tunc, olim sil-
 uestribus horrida dumis. Sic pleraq; arces
 impensis sumptuosissimis excitatae vel re-
 nouatae sunt, sic aquarum ductus per sil-
 uas & agros in usum hominum & fera-
 rum, villasq; frequentes illustres & opu-
 lentas fecit. Portoria etiam & telonia de
 consensu & cū priuilegijs Imperatoris in
 cōmodum reipub. Marchicae instituta sunt,
 ex quibus in Prignitio Lensenum ferè
 millium viginti quinque aureorum annuū
 est. Quemadmodum autem Marchia situs
 magna ex parte paludosus, stagnaticus &
 siluestris latissimè patet, ita venatoria no-
 bilissima Grimnicense, Schonbeccense, Co-
 penicense,

penicense, Netzlingense, Rustorpiantum, Custrinense, Potstamptianum, Zossanum, & alia huius potissimum principis auspiciis habet. Videre licet peregrinanti siluam continuam per milliaria viginti plusue minusue in longitudinem, duorum, trium, & quatuor in latitudinem extendi. Sicut Sueuica, quæ murus est quasi Marchie natiuus, versus Bohemiam, vel illa quæ à finibus Saxoniae velut regionis cingulum ad Pomeranorum usq; agros & viadræ ripas pertinet, & campos copiosa omnis arborum siluestrium generis densitate & proceritate emetitur. In his etsi vis ferarum numerosa venatori & accolæ plus stuporis quàm delectationis asserat, frequentibus tamen venationum exercitijs curaq; sollicita huc usq; prouidebat, ne agricultura turbaretur, vel fruges interrumperentur, sed vt siluæ siluestria animalia alerent, ijsq; certis limitibus & spatijs inclusa latius & incommodius non tuto euagarentur, & agricolis molestias damnosas cumularent. Hoc modo sicut huc usq; minus detrimentorum acceptum fu-

it, ita min⁹ querelarum vocum auditum.
Hodiè verò cum temporum difficultate
rerum quoq; iniurie crescunt. Quemad-
modum autem humanissimus erat Prin-
ceps, ita in gratiam populi multa faciebat.
Interdum theatra spectacula populo, qui
ex ijs festam quandam capiebat volupta-
tem exhibebat. Sic Berolini Leones, vrsos,
varijsq; generis feras spectare in publico
benignitate illius licebat. Copenici, quod
est ad Sueuum oppidum & arx splendida,
Vrsum, Taurum, & Lupum inter se com-
misit, submissis qui irritarent. At mox
Tauri ferocitas maximè conspicua erat,
qui vrso tantum cornibus feriendo recal-
citrandoq; timorem & formidinem incu-
tiebat, ut in summas adactus angustias
desperata quasi salute presidium in aufu-
giendo ex oculis eius quæreret. Sed ille
frustratus conatu, cū nullus fugiendi locus
relictus esset, tabulata atq; septa non sine
spectantium periculo impetuosè perrupis-
set, ea parte, qua Princeps ipse fortè con-
stiterat, nisi accurrentium stipatorum &
satellitum labariosa opera aestuante ore be-
lua

lua repressa esset & confossa. Berolini cur-
 sus equestris pari humanitate quotānis die
 corporis Christi instituitur. Brauia ibi pro-
 ponuntur bos opimatus, is primūm omni-
 um metam attingenti solenniter obuenit.
 Qui huic proximè succedit, gladium,
 qui tertius est arcum, quartus tandem
 porcellum non sine risu accipit. Studiosè
 in hunc usum à nobilibus & ciuibus equi-
 aluntur. Ad cursum peregrini equè atq;
 ciues admittuntur. Vnde fit non rarò, ut
 Poloni brauium à multis ambitum non si-
 ne reliquorum tadio & indignatione au-
 ferant. Dum ita procurat patriam Elector,
 Albertus Borussiae Dux patruelis de Aca-
 demia Conigspergi constituenda seriò co-
 gitabat, cōunicatōq; cum Ioachimo Electro-
 re cōsilio, illius permissione Georgium Sabi-
 num inusitato stipendio eò vocabat, ut au-
 thoritatem scholæ nominis sui fama &
 monumentis conciliaret. Qui optimi & li-
 beratissimi Principis consilium ac animū,
 quem erga doctrinarum studia gereret,
 non solūm magnoperè probauit, sed etiam
 calcar addidit, ut in instituto pergeret,
 G 4 suamq;

LXIII

suamq; ea in re operam promisit. Ita Aca-
 demia regijs sumptib. instituta, & XVII.
 Augusti introducta, doctissimis in omni
 disciplinarum genere partim ex schola
 Francofordiana, partim Vitebergensi ac-
 cersitis, primum Rectorem Sabinum acce-
 pit, qui magistratum istum per integrum
 triennium de voluntate atq; mandato
 Principis gessit. Francofurto discedentem
 magnus studiosorum numerus, praesertim
 illorum, qui eadem studia colebant, secu-
 tus est, adducti plurimi nominis eius cele-
 britate, eò gregatim concedentes scholā
 frequentem fecerunt: inuitatiq; accolae si-
 nus Balthici ad literarum studia, Philo-
 sophiam, iurisq; scientiam & Dei cog-
 nitionem mansuetiores esse ceperunt. Cum
 autem Princeps ornare & munire hunc
 literatorum conuentum summa & ordi-
 naria auctoritate cuperet, quò more usi-
 tato gradus in publicis doctrina testimo-
 nijs decernerentur, & ex veteri consue-
 tudine potestas illa conferendi eiusmodi
 priuilegia penes Imperatorem & Ponti-
 ficem Romanum foret, opera usus Sabini
 à Pe-

à Petro Cardinali Bembo petijt, ut à Pontifice hoc beneficium, quo gradus eo loco decreti comprobarentur, impetraret: Qui paulò post respondens per literas, Pontificem, ait, maximum, ea qua esset mansuetudine & liberalitate præditus, Marchionis postulata benignè accepisse, & cõsiliium laudasse. Sed cum in ipso non esset prudentia humanitate minor, facile perspicere inconsulto Carolo Cesare, statuum dum sibi nihil noui, in ea præsertim ciuitate, quæ etsi immunis foret à Cesarum Augustorum iure & imperio, tamen esset in illorum patrociniõ & quasi tutela. Eum igitur, ne offenderetur Imperator, si quidquam, quod ad istam Prouinciam spectaret, ipso inscio decerneretur, causam hanc reijcere in aliud tempus. Suadere autem, quandoquidem non solum offensio esset uitanda, sed etiam gratia conseruanda, ut ad Casarem prius rem omnem deferret. Quod si is quoq; consiliium probaret, Pontificem omnino nullam interpositurum moram, quin eadem omnia rata haberet, ac auctõritate confirmaret.

maret & cohonestaret sua, quæ ille decre-
 uisset, cuius decreti exemplum expecta-
 ret. Barbaram tùm filiam Georgio Lignic-
 ensi & Brigensi, & Iohanni Georgio Filio
 Sophiam Friderici II. Lignicensis & Bris-
 gensis natam Elector desponderet. Nuptie
 diebus Bachanaliorum Berlini regia mas-
 gnificentiâ confectæ sunt. Et ne quid ad
 summam læticiam deesset, decursio milita-
 ris instituta. Dubia illa admodum &
 periculosa erant tempore, Protestantibus
 aduersariorum colloquia secreta, manus
 atq; potentiam metuentibus: Pontificijs
 eorum contra conuentus crebros & confæ-
 derationem, indies vires sumentem, in-
 uisam & suspectam habentibus. Acceder-
 bat & hoc, quod in Saxonia, Hassia & alijs
 Germaniæ partibus munitissima pro-
 pugnacula tanquam belli arces excitare-
 tur, quæ plerisq; terrorem vel suspensionem
 impendentis turba atq; mali incutie-
 bant, ita ut & illi, qui pacem sectabantur
 & tranquillitatem, ad ea quoq; consi-
 lia descendere cogerentur, quomodo se
 suosq; tutarentur. Qua occasione Iohanne-

nes Princeps munire Castrinum ad Viadrum decreuerat, & totus erat hac cogitatione occupatus, ut non solum iustitia & pacis tuenda sedem, sed & arcem inexspugnabilem contra quascunq; violentia & iniuria vires constitueret, & verè de iudicio omnium, quibus natura & firmitas loci est perspecta, parem in Germania non habet. Quamuis nihil sit tam firmum atque validum, quin fatali imminente casu corruat. Visa hac quoq; causa est, ut occurreretur importunis atq; iniustis Polonorum postulationibus, quibus nunc Marchiam nouam, nunc Episcopatum Lebusianam, nunc alia repetebant. Sed hæc tùm temporis consilia ad ampliorem deliberationem reiecta, post aliquot annos in effectum deducta sunt. Habet autem munitionis illa hodiè ab occasu Viadrum, & à meridie Vuartam, in Viadrum sese exonerantem, luposq; & pisces illo sapidiores gignentem, flumina, murum, qui totus ex cocto capide constat, præterlabentia, vallo, aggere, & fossa firmissimè cinctus. Situs undiq; in circuitu palustris est, adistumq;

tumq; omnino per brachia Viadri hinc inde prae emetientia prohibet. Propugnaculæ exhibet quatuor fortissima. Præterea rebus necessarijs est instructa, ut si nõ singulari fato ad penam rapiatur, inuicta hostem quemcunq; tandem nihil formis det. Arcem quoq; Principis sedem præcipuam, pulcre exornatam & curiam habet, certis limitibus ab ea, quæ est Berolini, distinctam, huc causæ omnes & controuersie per Marchiam nouam, Ducatum Crosnensem, & partem Lusatiæ inferioris pertinent. Est autem Lusatiæ superior et inferior, tulitq; principatus ille vel ab Elysijs vel Lutetijs nomen, institutus primũ ab Henrico Aucupe & Ottone Imperatorib., & inde à Gerone Saxonie Duce et Marchione iurisdictionis Brædeburgicæ usq; ad Vuolademarum Electorem ultimum ex familia Principum Anhaldirorum sine prole decedentem, ferè fuit. Exstant passim Gorlitzij, Budissinæ & alibi horum Principum monumenta, Laubeni Anno M. CC. LXXIII. monasterium Franciscanorum Johannes Elector condidit; Ibidem ciuib. anno M. CC. XCIII. iudicij capitalis beneficium.

beneficium contulit Otto Marchio. Hiermannus Elector immunes à vectigalibus anno M.CCC.VI. fecit. Vuoldemarus muro, turribus & fossa contra Silesiorum incursiones urbem munivit. Postea Ludouicus Romanus superiorem Lusatiam certis conditionibus Carolo: & tandem inferiore anno M.CCCC.LXII. Georgio Bohemiae Regibus, Fridericus I. Elector ex Burggrauiorū Norinbergensium familia, quā paulo ante iure beneficij in feudum ab Ladislao Rege acceperat, solenniter tradidit, Cota busio solūm, Sommerfelda, & alijs paucis oppidis sibi reseruatis. Prodiit tunc in publicum confessio minor Martini Lutheri de Cæna Domini. Fortè aberat Vitebergæ Philippus Melanthon, cum hæc agebantur, neq; cum eo de hoc consilio Lutherus communicauerat. Is ab amicis de hoc instituto edoctus grauer tulit, seq; iam spem omnem pacis & concordie, quam præclaram huc vsq; fouerit, abicere, dixit. Excanduit propter hæc verba admodum Lutherus, excusseruntq; voces duriores visæ Dei, inde dissensionem grauem horum duorum

duorum Ecclesie luminum non sine reis
 pub. Christiana clade pleriq; metuebant.
 At Iohannes Fridericus Elector Saxonie
 vehementer sollicitus, quò res ista euasus
 ra esset, Pontanum Cancellarium ad Lu-
 therum amandans ostendit, singulari cù
 approbatione se accepisse, eum contra Sas-
 cramentarios scripsisse, sed cupere, ut Phi-
 lippum, quem nominatim taxatù in eo li-
 bro cognoscat, accersitum ad priuatum
 colloquium, paternè primùm admoneat:
 persuasum enim habere, si hoc consilium
 ipse optimo certè animo profectum probet,
 Philippum admonitioni atq; institutioni
 locum omninò daturù. Sin minus, quod ta-
 men nequaquam speret, tunc ab ipso, eas
 quas iam instituit, & alias quas commo-
 das iudicauerit, rationes iniri posse. Cur
 autem confessionem istam Lutherus edes-
 ret, causa erat illa, quod Cingliani concor-
 diam institutam Lutherù nolentem vo-
 lentem cum illis colere cogi, gloriaren-
 tur, & omnes prodigiosos Cinglij li-
 bellos in unum comportatos coniunctim
 publicis typis, præfigente præfationem But-
 lingo

lingerō euulgassent: quod tandem passim
& in ipsa Italia Lutherum in aduersario-
rum sententiam iuisse percebuerat. Et
quidem ab illa parte strenuē laborabatur,
ut dissidium istud fieret publicum, sic e-
nim Philippum in castra Sacramentariorū
transiturū putabant. Sed is erga Pontas
num ita se declarabat, ut magna cura &
Principem & alios liberaret, non esse ni-
mirum eam rem magni momenti, nec si-
bi quidquam vel Luthero de mutuo odio
constare. Lutherus verò affectum ad his
bens paternum singulari usus moderatio-
ne & dexterrate effecit, ut ipso uiuente
neq; ille neq; alij aliud pra se ferrent do-
ctrinae genus, quàm à Luthero accepis-
sent. Quamuis & hoc constaret, Lutherū
tunc temporis virum esse summè affli-
ctum, ac varijs circumdatum hostibus, &
plerosq; amicitia iura non sincero animo
colere, nec ipsi per omnia in amore & fide-
litate prestanda respondere. Quae ille pa-
tienter omnia ferre. Multum turbarum
hoc qualecunq; dissidium per Marchiam
dedit, his Lutheri auctoritatem iusto ze-
lo se

lo sequentibus, illis vero doctrina Philippi
 per rationibusq; hinc inde falso sparsis per-
 motis: Sed clementi Dei benignitate,
 principumq; Marchia diligentia error nul-
 lus altas radices agere potuit. Contestata
 autem collegij Theologici in Academia Vi-
 tebergensi facultas est, se nunquam cum
 Helueticis Ecclesijs consensisse, neq; in
 posterum consensuros, & ad eam confes-
 sionem de Cæna Domini, quam breuem vo-
 cant, scriptis & voce sæpè prouocarunt.
 Sed imminabat finis regni Christianorum
 ab Hiltenio monacho Hsenacensi definiti,
 qui istud triginta annorum futurum præ-
 dixerat, ab initio nimirum predicationis
 Lutheri, usq; ad eiusdem obitum Ecclesie
 & reipub. lucuosum. Postea enim certas
 mina grauiora durissimè pios hinc inde
 affllexerunt & perturbauerunt. In Borussia
 mediocris adhuc erat status Scholæ Res-
 giomontane, habebatq; sua incrementa
 auspicijs Georgij Sabini, adiuuante & stu-
 diosè promouente consilia illius Stanislaus
 Repagelano, quem rebus humanis exem-
 ptum Idib. May non sine graui dolore amis-
 sit.

Sit: Pre ceteris enim lectoribus dignita-
 tis Sabini fautorem diligebat Princeps,
 auditaq; eius morte, quamvis extra vro-
 brem reparande valetudinis gratia esset,
 pro ea tamen, qua excelebat, humanitate
 ad cohonestandum funus venit, locumq;
 sepultura iuxta suum monumentum des-
 dit, exemplum Scipionis Africani imita-
 tus, qui Enniũ simili honore affecit. Circa
 id tempus Senatui Francofordensi ad Vis-
 adrum ius exercendi capitalia iudicia,
 quod ante annos aliquot amiserant à Io-
 achimo I I plenè restitutum est. Aliquan-
 to post Albertum Moguntinum, Electo-
 rem & Archiepiscopum Magdeburgensem,
 Cardinalem, Primate[m] Germania, &
 Halberstadensem Episcopum, Marchio-
 nemq; Brandenburgensem morbus acutus
 die XXIIII. Septembris Aschafenbur-
 gi consumit, cum annos ætatis LV. fecis-
 set, & XXXIII sedisset. Funus ipsi am-
 plissimum in templo Martiniano Moguns-
 tiae ceremonijs consuetis est procuratum.
 Huius viri virtute & sapientia prolixis
 tranquillitatis ocys felicissima temporis

H

pace

pace decursis Germania diutinam dome-
 stica quietis constantiam, inconcussa res-
 rum securitate hætenus tractauerat.
 Mox enim ab illius morte alia reipub. unis-
 uersa & Imperij facies apparebat, quæ o-
 stendebat, quantum præsidium in ea hæ-
 buisset, & quantum in eo iacturam fe-
 cisset. Interim de voluntate Caroli V. Imp.
 Pont. Rom. concilium Tridenti habendū
 indicit. Conuentus igitur Francofurti ad
 Mœnum ordinem Protestantium nomi-
 nis designatur ad diem Lucia. Illic Iohan-
 nes Marchio legatos suos cum plenis man-
 datis à Saxone monitus misit. Delibera-
 tum est, quid, si concilium procederet, fa-
 ciendum. Actum simul de restitutione
 sumptuum bellicorum, quos in Henricū
 Brunswicensem Saxo & Landgrauis
 contribuerant. Placuit etiam, quia termina-
 nus in ita confæderationis propemodum
 exiisset, ut in alios sex annos proroga-
 retur. Sed legati Marchionis in publico con-
 sessu demonstrabant, Principi suo post-
 hac non fore integrum, in ullum eiusmodi
 cum ipsis fædus amplius consentire, non
 quod

quod doctrina Euangelij repudium mittere, vel ad Pontificios deficere vellet, sed quia existimaret, Cesarem religioni pacem daturum, promittere tamen omnia, quae à bono, amico & agnato Principe proficisci queant, eademq; vicissim ab ipsis officia expectare. Cuius exemplum secuta & ciuitates aliae, & ipsa fœdus postea paulatim declinauerunt, in primis sub Ratisponensium comitiorum exitum. Tacite autem Landgrauio et alijs quibusdam propter captiuum Henricum Brunsvicensis succensere, liberandiq; eius consilia agitare creditum est. Interea Lutherus ob morum petulantiam Mersburgum ad Georgium Anbaldinum concedit, ibiq; aliquandiu à labore quotidiano & prope modum infinito quiescens consistet. Hoc Pontificij inuidiosè quasi Episcopatum captaret, exagitabāt. Sed is veram in literis ad uxorem causam exponens, docet, instare vitæ suæ finem, velle itaq; ut, quandoquidem Vitebergam propter morum dissolutionem, verbiq; diuini contemptum redire in animo non habeat, Philippo &

Pomerano significet, quò uterq; suo loco
 schola & Ecclesia suo nomine valedicat:
 Ipsa verò collecta supellectile Mersburgum
 demigret. Eam enim ciuitatis illius
 conditionem post obitum suum futuram,
 ut nullum ex quatuor elementis eam ferre
 possit. Id ubi Academia accepit, vehe-
 menter perturbata, rem omnem ad Prin-
 cipem Electorem in hanc fermè sententia-
 am perscribit: Ante annum Martinum
 Lutherum de deserenda Academia cogita-
 tasse, & vix à Doctore Pomerano & reli-
 quis Vniuersitatis & ciuitatis ablegatis
 à proposito isto cum lacrymis retractum:
 Nunc verò ad eadem redire consilia, quod
 sibi longè accidat tristissimum. Denuò
 igitur ipsam exorare constituisse, ut in
 affectione paterna, qua Ecclesiam, Aca-
 demiam, & urbem Vitebergensem pro-
 secutus sit, persistat, nec propter qualemcū-
 que tandem causam animum beneuolum
 deponat, sed Episcopus atq; Pater, ut has
 etenim fecerit, esse pergat, & pro sua sa-
 pientia perpendat, quantum ea distra-
 ctio voluptatem aduersarijs, quantum ve-



ro mœrorem Principi, grauissimas reipub. molestias sustinenti, sit allatus ra. Tacere quomodo illi, quib. religio cura sit, passim per Germaniam ob hoc Ecclesia inflicturn quasi vulnus ingemiscunt. Futurum præterea, ut male audiat & dissipetur schola, in qua artes & lingua maiore fidelitate quam in vlla alia tradantur. Addituros etiam hoc, si quem inuisum vel suspectum habeat, nihil se reliquum facturos, donec offendiculum tollatur, ea submissa petitione, ne propter vnius atq. alterius peccatum, quicumq. illi tandem sint, eos deserat, qui diuinitus eum sibi concessum agnoscant, & porro sit currus & auriga Israël, paratos se fore disciplinam & pacem tueri, quantum per vires adeoq. vitam ipsam licuerit. Sed facile intelligere, quanti hoc negocium sit momenti. Itaq. Principem orare, ut quid facto opus iudicet, clementer admonere dignetur. Suum quidem consilium esse, ut ipse cum Luthero accersito colloquatur. Habere Ecclesiam & scholam Vitebergensem præ reliquis multos hostes, ideoq. ara

dentiore studio Deum invocandum, ut
 catus illius coniunctionem benignè adiu-
 uet & conseruet. Consuluisse Mercurinū
 Carolo Imp. ut moderatè in oppugnanda
 hac doctrina ageret, Si enim ex Deo esset,
 nihil profecturum: Sin minus, sua spontè
 dissipatis Doctōrib. corruturam. Quod si
 primarius pastor hinc discederet, maiorem
 omninò dissipationem pertimescendam. O-
 men istud multis visum est futura cala-
 mitatis per Ecclesiam cladem minantis
 exitiosam, sed quā tamen benignitas di-
 uina clementer auerteret. Ita Lutherus
 Torgam ab optimo principe euocatus, cum
 legationem simul Academia ad eum mis-
 sisset, exorari atq. flecti se passus est, ut
 Vitebergam reuerteretur. Aliquantò post
 cum Georgius Maior iter ad colloquium
 Ratisponæ instituendum ingrederetur, sa-
 lutaturus Lutherum, in vestibulo Musæi
 illius scriptum reperit: Nostri Professores
 examinandi sunt de Cœna Domini. Hic
 ille, Reuerende ait Pater, quid hac desig-
 gnant verba? Cui Lutherus, id omninò
 quod sonant, respondit. Tum Maior ut sus-
 spicio

spicionem à se Cinglianismi remoueret, cō-
fessione sua edita multa verborum atte-
statione vsus est. At ille graui eum & his-
lari simul vultu intuens, Tacendo, inquit,
& palliando temet ipsum suspectum red-
dis, si ita verè sentis, vt modo dixisti,
dic etiam Ecclesie in lectiōibus, concio-
nib. & colloquijs, et cōfirma fratres tuos,
errantes reducin viam, & proteruis con-
tradictō spiritibus, aliàs confessio tua inanis
quedam larua, nullius vsus erit. Ecclesia
Doctōr si ad errores tacet, & interim egre-
gium Theologum simulat, peior est quàm
vllus Hereticus, assentatoriè enim plus
quàm ille nocet. Eiusmodi doctōri non est
fidendum, vulpes enim est, lupus, merce-
narius, & ventricola, qui verbum, fidem,
Sacramenta, Ecclesiam & scholas desere-
re, imò prodeve non verebitur. Talis vetē-
rator vel occultè cum hereticis colludit,
aut totus ventosus & Academicus exspe-
ctat euentum, an scilicet Christus, vel Sa-
than principatum obtinebit, vel prorsus
fluctuat. Et verè discipuli nomine dignus
non est, nedum Doctōris. Ea tempestate

VI. ardua erat disceptatio Comitum Mansa-
 feldiorum de territorio suo, ad quam as-
 micè componendam multi generosi & præ-
 stantes viri inuitabantur. Expetitus eti-
 am Martinus Lutherus, quamuis po-
 liticis negocijs semper abstinuerat, patria
 tamen sua, quam à multis annis non vis-
 derat, hoc officium denegare noluit. In
 Aslebiū per Halam profectus, à Comitib.
 CXIII. equis pulcrè exornatis comiter &
 reuerenter acceptus est. Fuerat hæcenus
 illo Ecclesie Doctore, Principe verò Ele-
 ctore Iohanne Friderico defensore & nu-
 tritio, aureum verè seculum, videbaturq;
 res Christiana his velut columnis fulta,
 sed hanc hominum impietati fata inuide-
 bant felicitatem, cursumq; suum fecerat.
 Magnus ille Lutherus, quem Deus ex pa-
 tria in aeternam illam ad se recipiens trās-
 tulit, presidio quoq; humano Ecclesiam
 exuere procinctus. Ea tãti viri emigratio
 passim luctum ingentem excitabat, men-
 tesq; sollicitudine incredibili constringe-
 bat. In Marchia certè ubi rumor is percrea-
 buisset, difficile est dictu, quanta sit orta
 trepidatio

trepidatio, quae passim querela publicè &
 priuatim habita, Inprimis autem tristis-
 simum acciderat pastoribus, sibi & rela-
 gioni metuentibus, quae vix pedem ijs in
 locis fixerat. Hunc enim Atlanta agnos-
 uerant, qui precibus suis caelum sustinuis-
 set, ne in ingratos corrueret; Hunc mus-
 rum aheneum fuisse contra tot Pontificis-
 orum machinationes iudicabant, memo-
 res illius dicti, quo illos de pace firma, quos
 ad superesset humanitus, certos fecerat,
 sed post abitum suum cauere iusserat. Et
 verè ab eius morte concordia cum illo si-
 mul sepulta est. Oraculū ille fuerat, quod
 in difficillimis controuersijs consulebant.
 Istud Palladium, quo haectenus haec regio-
 nes inuiolatae steterunt cum vera religio-
 ne, dolenter repetebant. Sed cum Vitebere-
 ga, eò honorificentissimè à Comitibus, pos-
 tulante Electore Saxoniae, deductus, in
 maximo honorū omnium luētū tumultus
 esset, ad illius libros versi, nihil ijs carius
 nihil antiquius habent, ita ut nulla facile
 prouincia inueniatur, quae illius monu-
 menta maiore studio exosculetur & ama-

H s pleēt as

plectatur. Ipse Ioachimus Elector sic ius
dicabat, crebroq; apud suos occinebat. Qui
hunc Doctorem & virum reuerenter non
haberet, Christianum sibi non videri. Nō
tamen deerant, qui tacitè gaudebant Les
onem mortuum esse, reliquos nihil cur
rare catellos. Hoc Germaniæ propheta è
medio sublato Carolus Cesar, qui sprete
quasi maiestatis suæ vindictam inopina
to petebat assultu, in Iohannem Fridericū
Saxonem & Philippum Landgrauium
ceterosq; confederatos arma mouere des
creuerat. Id ubi verè agi sensisset Ioachi
mus Elector de vniuersa repub., si res ad
arma deuenisset, sollicitus, certis capitibus
quosdam articulos conscribi curæ habuit,
quibus utraq; pars acquiescere, & publica
tranquillitas sarta tectaq; manere posse
set. Erant autem huius normæ & sententia.
Confœderationes ex utraq; parte tan
quam seminaria turbulentorum consilio
rum & actionum abolentur. Neutra pars
alteram secundum Imperij decreta ledit:
Dissidia religionis, cuius protectio & con
seruatio ad solum Deum pertinet, amicis
disce

disceptationibus permittuntur. Cum Cinglianis & Anabaptistis nihil commune Protestantes habent: Iudicium camerae Imperialis ad tempus sublatum à Cesare & ordinibus restituitur, & idoneis atq; pacificis assessoribus & praesidi commendatur: Eorum in iure pronuntiatio per omnia, exceptis solummodo fidei Christianae articulis, valet: Henricus Bruisuiensis custodia sua liberatur, data fide, in Saxonem & Landgravium nihil hostile vel ipsum vel suos tentaturum: Goslarisensem & Bruisuiensem causas iudicio Camerae imperialis, aut cui eam Caesar demandauerit, committit: Quidquid ipsi se vel beneficiarii eius in bello amiserint, à Protestantibus restituitur: Bona Ecclesiastica non in alios usus, nisi ad amplificandam gloriam Dei, alendos ministros verbi & pauperes, & studia à Protestantibus vertuntur, donec de his aliud definitur: A libellis infamibus, inuectiuis, usq; scriptis, quibus alij offenduntur & laeduntur, serio abstinetur, & ne quid tale fiat post hac, prohibetur: Saxo Landgravius & reliquis

liqui Cesari se submitunt supplices: In
 deprecanda culpa hanc formam recipiunt,
 eaq; utuntur: Saxonem & Landgrauis
 um initio huius belli comperisse ex homi-
 nibus fide dignis, Cesarem in animo habere
 re religionem & libertatem Germanie
 opprimere, & id ita credidisse. Postquã au-
 tem intelligant, Cesarem religionẽ nequa
 quã petere, sed ei securitatem promitte-
 re, & interim multa acciderint, quæ ta-
 men religionis tuende causa facta sint,
 propter quæ in indignationem Cesaris in-
 currerint graue, Sacri Rom. Imperij Elec-
 tores & Principes omnes obsecrare, ut Ces-
 arum in Saxonem Landgrauium, &
 reliquos conceptam clementissimẽ depo-
 nat, ipsisq; ignoscat: Promittere vicissim
 Cesari fidem & obedientiam auxiliãq;
 contra quosuis ipsius & Imperij hostes: In
 reliquis etiam officijs nihil in se desidera-
 ri passuros, imprimis in ijs quæ communi
 ordinum suffragio approbata fuerint. Hæc
 quidem capita pacis ad Saxonem & reli-
 quos confæderatos transmissa sunt, cum
 promissione ulterioris tractationis, sed ab
 ijs repuo.

ijs repudiata, grauiſſimo Germaniam bello implicuerunt. Cum igitur Caſar Iohannem & Albertum Brandeburgicos de auxilijs ferendis appellaret, etſi antea ſe declaraffet, quid nam hoc bello peteretur, attamen Iohannes Marchio, antequam Caſari operam ſuam condiceret, diſertis & expreſſis verbis fidem ſibi dari voluit, religioni vim nullam factum iri. Attulit tunc Caſar has ferè cauſas ſuſceptæ expeditionis: Debitam ſibi à quibusdam Principibus & ciuitatibus obedientiam non preſtari, tuende igitur dignitatis ſuæ alias rationes inueniendas, quibus & ius & auctoritatem ſuam defenderet: Ab iſdem turbari pacem publicam ſcribendis exercitijs, & expugnãdis oppidis & agris; transferri ad peregrinos aliena dominia & territoria: aſſeruari contra ſuum edictum Principes captiuos: ſubterfugi ius & iuſtitiam, agere illos, quod liberet, iſtud nequaquam Imperatori tolerandum eſſe: Henricum Brunſuicenſem liberandum à Landgrauio

nio

uio & reliquis confœderatis, carceri inclu-
sum Principi non conuenienti: Iulium E-
piscopum Nauburgensem legitime desig-
natum & electum, sed à Saxone eiectum,
sedi suæ restituendum: Factas esse prophæ-
tationes templorum, vastationes monas-
teriorum & sacrilegia, ea impune non
esse ferenda. Theologos Protestantium sine
consensu suo reuocatos esse & abiisse,
quod exemplum ad suum contemptum spe-
ctet: Non seruari decreta Imperij com-
muni ordinum suffragio facta, Hac ad
vindicandam nominis & dignitatis suæ
existimationem, & tutandum Imperij
decus punire in paucis contumacibus de-
creuisse: resipiscentes tamen à clementia
sua non repulsurum. Religioni autem vim
nullam facturum, sed amica tractationi
permittere, vel si ea nihil proficiatur, ad
cōciliū delegare. Saxo contra & Landgras-
uius, non solum domesticis & patrijs viris
bus instructi, sed etiam latè præsidia à fis-
mitinis & alijs ingenti apparatu mutuas-
si erant, plurimumq; auxilijs confœdera-
torum subnitebantur, ut Cesar ad Ingole-
stadium

Stadium tantas copias in colle admodum miraretur. Ita ardente bello civili Ioa-
chimus Elector, qui illo iniustus nihil ex-
istimaret, sapienter armis abstinens, in
neutram publicè propendebat partē, quā-
uis Cesari & fortune obsequentior esset,
Ne tamen spectator ociosus tristis incen-
dij esset, sed ad extinguendam suam ope-
ram, ut antea semper, nunc quoq; confer-
ret, communicato cum Mauritio Saxonie
Duce consilio, Virciburgum usq; suos Sa-
xonem legatos subsequi iussit, paratissi-
mam offerens voluntatem in interceden-
do pro eo, siquidem supplex Cesari fieret.
Sed hoc profecit, ut gravissima accusatio-
nes in Iohannem Fratrem instituta fue-
rint, quod contra viri & Principis boni of-
ficium fidem datam violasset, fœdusq; ma-
lignè deserendo suam contra obligationis
litteras operam, socijs proditis, hostibus no-
minis & fœderis Protestantium addice-
ret. Itaq; Iohannem Georgium Filium nō
ut hostem Euangelij, sed ut Tyrocina mis-
litia sub tanto Magistro poneret, ad Cæ-
sarem misit, qui equitum ordines in illius
ducens

ducens exercitum, suam magistratui summo obsequenter observantiam probabat. Iohannes autem Marchio accusationi Protestantium defensionem nominis atq; fama sua publico monumento comprehensam opponit, & ordine demonstrat, iniuriam sibi fieri. Exdus enim eo tantum pertinere, ut si propter religionem vim faciat Caesar, coniunctis viribus in hostem eatur. Hanc autem minime esse Caesaris mentem, quam certo exploratam habeat, rebellionem enim non religionem petere. Quod si supplices ipsi Caesari se submittant, nihil esse, quod vereantur. Falsum igitur esse, quod se contra Principis boni officium fecisse dicant; nec sibi deesse, quae res torquendo calumniam in os conuiciatoris respondere possit, sed commendare hac Deo. Optare ut is alium illis animum suggerat, operam sane suam nullo tempore reipub. & religioni defuturam. Exinde in vexillis suis toto illius expeditionis tempore inscriptum habebat: Date Deo quae sunt Dei, & quae sunt Caesaris Caesari. Hoc anno, Iohannis Georgio Ioachimus
Fridco

Fridericus XXVII, Ianuarij, matre Sophia per partus dolores exspirante nascitur. Sic dum omnia belli incendijs per Germaniam depascuntur, in vicinia sylvae, quã Hartyniam vocant, repertus est in quadam ruinosa atq; deserta arce vir horrido atq; inculto corpore, qui Fridericum Imp. se esse, & ideo redisse, ut imperij statũ admodum confusum reformaret, constanter affirmavit. Visus etiam partus monstruosus Cracovia in Polonia, qui lingua Germanorum inter frequentes vagitus ingemuit, hac verba, Vigilate, quia Deus vester praeforibus est. Appetente igitur hieme cũ Iohannes Fridericus Saxo ab expeditione Bauarica in Gottam reuersus esset, eaq; qua per Turingam, Misniam, & Saxoniam auspicijs Mauritijs Ducis amiserat, spontanea deditione recepisset, & insuper omnem illius prouinciam praeter Lipsiam atq; Dresdam in suam potestatem perduxisset, in agrum Magdeburgicum ac Halberstadensis diaceseos exercitus partem ducens Halam occupat, & inde reliqua facile oppida sui iuris facit. Erat

autem post Albertum in Archiepiscopum
 communi Canonorum Magdeburgensium
 suffragio legitime Iohannes Alber-
 tus Brandenburgic⁹ Patruelis electus, cum
 antea Coadiutoris nomine censeretur, sed
 tamē solenni & illustri pompa consuetisq̃
 ceremonijs, quibus in noui & designati
 Archiepiscopi concepta verba saluis pri-
 uilegijs & immunitatibus ab Ottone I.
 Imp. & alijs Cesaribus & Archiepiscopis
 concessis iurant ciues, à Magdeburgo non-
 dum receptus. Hunc administratione va-
 riusq̃ sedis abstinere coactum, in eas
 angustias detrudit, ut tota prouincia ex-
 tortis quasi decederet, suoq̃ consensu v-
 trumq̃ principatum utendum fruendūq̃
 illi traderet. Hinc earum regionum inco-
 le grauioribus aliquantō oneribus, dif-
 ficultatibus, tributis & exactionibus
 pressi, patientius tamen omnia tulerunt
 & praestiterunt, quod pro sinceritate dos-
 trina Euangelica conseruanda & propa-
 ganda Electorem optimum pugnare cum
 summo periculo intelligerent, ipsiq̃ gra-
 tum debere animum pro deriuatis ex Eco-
 lesia

clesia & fontibus Israëlis Vitebergensibus
 ad lacunas suas riuulis agnoscerent. Ea
 tempestate versabatur in summo discris-
 mine Marchia. Nam filium & fratrem
 patruelemq; in castris Caesaris habebat Io-
 achimus Elector, Ferdinandus Rex, quo se-
 re nitebatur, Dresda inclusus à subditis
 fastidiebatur: Caesar longius aberat: Maus-
 ritius Dux tota penè ditione exutus cum
 fratre Augusto suam salutem in Caesaris
 victoria & vita reponebat, & parùm vel
 nihil apud suos poterant. Bohemi erant **XLVI**
 in armis; Saxo bellum apertè gerebat:
 Omnia metuebantur, siue Hispanus mi-
 les, siue Germanus vicisset, quandoqui-
 dem omnis victoria insolens esse soleat,
 eoq; magis, quod neutram partem offens-
 sam volebat. In Cesare enim potentiam,
 in Electore religionem probabat, causam
 verò Deo commendabat, eiusq; exitum:
 utrumq; amabat & colebat, deferebatq;
 quod ratione officij, coniunctionis & a-
 micitiæ debebat, non deerat vel occasio,
 vel res, vel causa, cur in Saxonem infe-
 stior iret, sed nec, cur optimū Principē les-
 deret,

deret, erat. Vnde illum vicissim propitio numine fortuna favorabiliter ad extremum usq; vite & Imperij terminum profecuta est, ut sicut ipse neminem, nec ipsum quisquam hostiliter unquam teneret. Dum Saxo recipiendis civibus adiungendisq; socijs occupatur, interim Albertus Brandenburgicus ex hibernis mandato Imperatoris mouet in Misniam cum aliquot equitum turmis & pedum cohortibus. Rochlitium venerat, neq; de vicino hoste quidquam constabat, Saxo autem, qui per inditia negligentiam istam cognouerat, prima vigilia in oppidum irruentem Ernestum Brunsvicensem Grubenhagenium cum armata manu mittit. Brandenburgicus non victoriam sed defensionem sui animo explicans, militem per stationes hostium copijs opponit, sed numero victus, fortuna cedens multis suorū amissis in potestatem Ernesti Brunsvicensis, Calend. Maij venit, Cottamq; captiuus ductus aliquantò post à Cesare liberatur. Dimiserant confederati sub initium belli Henricum Brunsvicensem cum
Filio

Filio Carolo victore ex custodia, in qua biennium fermè fuerat, spreto Lutheri consilio, qui illum nequaquam dimittendum censuerat, quod si factum non fuisset, poterat aliquid ad pacem conferre in hac Albertiniana clade. Ea commotus Caesar ingruente vere exercitum mouet in Misniam, & rectè Saxonem petit. Istud ille credere à consiliarijs persuasus non poterat. Ita à Casare, qui nō minus prudentia quā praelio vincere nouerat, ad Mulbergum inopinatus oppressus cum concionem audiret sacram Dominica misericordias Domini, ut verè pastor bonus, se suamque vitam ipsam pro salute ouium suarum periclitandam offerens, perfidia consiliariorum quod Caesar ipse postea traditis proditorum literis non dissimulauit, permittens, ut quod de ijs vellet, statueret, fortissimè dimicans accepto honesto in fronte vulnere captus, & ad Casarem ab Hispanis multis ludibrijs & sannis Princeps inter optimos optimus pertractus est. Singulari enim consilio Deus huius Principis constantiam, ex qua maiorem laudem tulit, quam alij

ex frequentibus victorijs, decantata in
 orbi terrarum & nobilissimā esse in gloriā
 sui nominis & Evangelica doctrina pro-
 pagationem voluit. Infirmiores enim ad
 modum in fide & confessione hoc exemplū
 confirmavit, hostes etiam plurimos, vel
 ex Hispanis, qua gente tenacior nulla est
 Pontificia idololatria vel observantior, ad-
 duxit, ut religionem veram amplecteren-
 tur. Locus, ubi captus est, singulari hodiē
 memoria & veneratione apud incolas co-
 litur, certisq; notis monstratur. Verē enim
 Principem amabant, & more filiorum in
 calamitate & afflictione paterna anxie
 dolebant. Illis diebus parelia conspecta
 sunt colore sanguineo perfusa, ipseq; sol
 instar globi cruentati lugubrem omninō
 speciem præ se tulit. A plerisq; omen belli
 exitus infelicis infaustum creditum. Plu-
 res enim Soles videri experientia magis-
 tra constat, cum vel nova fœdera
 consuta, vel Principes de fastigio deijci-
 endi sunt, vel reipub. mutatio insignis im-
 pendet: & simul fœderum fortunam des-
 pingere existimatur. Sicut enim parelia
 citō

citò dispercutunt: ita confæderationes ferè
in neruum erumpentes dissilire compertū
est. Princeps ubi se à suis desertum & un-
diq; hostibus cinctum conspexit, oculis in
cælum eleuatis verbis latinis exclamans,
O benignissime, inquit, Deus miserere mei.
Fiduciam belligerendi constantiorem ex
illa victoria, quam ad Rochlitium, Alber-
to Brandeburgico capto, obtinuerat, bona
causa, iniuria & consiliarijs improbis im-
pellentibus, conceperat. Audita hac clade,
ne Imperator durius quiddam in capti-
uum statueret, festinatione accinctus so-
licita Ioachimus Elector Vitebergam ad-
uolat, iram victoris mollitatus. Et oportu-
nè Cesari & Saxoni venit, huic quidem,
quod vitam intercessione seruaret, Cesar
enim, qui captiuo admodum succensebat,
& magis magisq; à Pontificijs accendeba-
tur, omninò exemplum seuerissimum in
illum statuere, & cruentam securim dis-
stringere, ceruicemq; elidere decreuerat:
illi verò, quod si proposito euentus respons
disset, se haud dubiè difficillimo bello, odio
maximo, vitæq; periculo inuoluisset. Nil

bil enim aequè homines feroces demulcet
 atq̃ clementia & benevolentia, nihil con-
 tra aequè incitat, quàm pertinacia & ty-
 rannis. Nondum deditioem fecerat Vite-
 berga, & quia probè munita erat, nes-
 cessarijsq̃ omnibus, inprimis machinis &
 presidio egregio instructa, expugnandi
 sui facultatem negare credebatur. Prae-
 cone igitur misso fidem sibi dari Caesar pe-
 tebat. Id cum illi, sicut & antea Mauritio
 Daci, denegatum esset, minabatur Ele-
 ctorem capite truncatum iri, nisi portas
 aperiret, debitaq̃ obsequia praestaret. Pos-
 tulabat simul à Saxone, ut iuramentum
 civib. & militibus remitteret, mandaretq̃
 illis, ut ad castra Caesariana transirent.
 Vbi verò commodum responsum non tulisa-
 set, iratus istud de capitis supplicio repe-
 tebat. Tum, hic nullo palloris aut metus
 indicio edito, Ergò, inquit, in Viteberga
 deditioe mea vit aposita est, in rebellionē
 mortis supplicium consistit? At licet, Cae-
 sar, mihi vitam, per se mihi satis acerbā,
 eripias, nihilominus tamen meos filios hos-
 tes lōgè violentiores te habiturum, scito.
 Eoq̃

Eoq; dicto, ad lusū aleæ Ernestum Brunsvic
 censum reuocauit. Stimulabant agrū Casar
 ris animum Pontificij, ut captiuum Elec
 ctorem criminis lesa maiestatis & perdu
 ellionis damnatum securi percuteret, eoq;
 propendebat totus. Postquam autem in
 consilium Ioachimus Elector Brandebur
 gicus admissus, auditusq; esset, dubius,
 utram sententiam sequeretur, quem Brās
 deburgicus diserta oratione in hunc mo
 dum allocutus est: Video te, potentissime
 Caesar, in eam inclinare sententiā, quæ nec
 satis tuta nec æqua est, ut nimirum Iohā
 nes Fridericus Saxo perduelliōis reus factus
 cum ditione simul vitam amittat: eiusq;
 consilij auctores habes Pontificem, Hispa
 nos, & Italos, fortassis id quibusdam ex
 Germanis etiam volupe esset. Fateor &
 ego satis grauem tibi causam distringen
 di seueritatis gladium in hostes esse datā.
 Sed Deum immortalem, quando finis erit
 malorum, si summum semper ius persequi
 velimus? Non dubito te fortia Heroum
 exempla considerare, quàm moderatè vis
 ctoria vsi sint, ita ut vix vicisse constat.

ret, & inde gloriam maiorem reportarunt, quàm ex celeberrimis & maximis victorijs eumq; laborum suorum fructum ceperunt, ut quos antea inimicissimos experti erant, inter amicissimos reponerent. Alexander Magnus Poro Regi India victo pepercit, eiq; nec vitam nec regnum, sed regium tantum nomen ademit, & Satrapam pro Rege esse iussit. Sed quid peregrina affero: Avus tuus Maximilianus Imp. Palatinum Electorem magna pugna cladeq; Bohemorum superatum, in gratiam recepit, eiq; dignitatem provinciamq; restituit. In te ipso haecenus nulla admirabilior virtus eluxit, quàm clementia. Posteras capto Gallia Rege & Pontifice Romano Monarchiam instaurare, sed à qua ambitione tam longè abfuisti, ut summam in te moderationis laudem consecutus sis. Quid, cum gravius quiddam in eos statuere posses, non modò nihil tale persuadere tibi passus es, ut arctiore beneficio obligatos arctiore etiam amicitii vinculo tibi coniunctos malles. Summa haec est virtus, & propriè tua gloria, iram vincere

cere, hostemq; clementia superare, quando quidem reliqua in victoria magna ex parte sibi milites vendicant. Quod igitur in illis laudabile iudicasti, id tibi in tuis conseruandis multò gloriosius existimabis. Quanto maior enim offensio, tanto maior clementiæ laus erit. Pertinet hoc non tantum ad nominis tui auctoritatem, sed & Imperij nostri maiestatem. Quid enim gloriosius Imperatori vicisse hostem, ipsq; pepercisse, certisq; legibus sibi obligatos tenere? Quid tristius civili bello, sed longè tristissimum, ciues supplices ad pœnam poscere. Nolo hic prolixè commemorare, quæ inde incommoda tibi totiq; Imperio nasci possint. Exemplum certè tale apud nos in Germania auditum non est. Fortassis non desunt, quibus voluptatem hac seueritas afferet: Sed quis maioris erit partis animus? Libertas Germania in eo posita est, ut Cæsar in eiusmodi casibus communem ordinem Imperij consensum sequatur, id tibi omninò iam quoq; faciendum putabis. Si enim aliam ingressus fueris viam, quomodo ab ijs tale accipietur factum, tute videbis.

Hactè-

Haecenus te amauimus, in posterum me-
 tuemus? Eiusne salutem tranquillam fus-
 turam censebimus, quem maxima pars
 inuisum habet? Quem enim metuāt, hunc
 non oderint? quē oderint, eū ne viuere cus-
 piant? Sed hoc odium non tibi solū, sed etiā
 tuis & posteritati conflabis. Ordines gra-
 uiter ferent, qui partim ipsius causam
 probant, partim causa damnata virum
 & Principem amant. Sed quid filij factu-
 ri sunt? ultionis aculeo laceffente turbas-
 bitur vniuersa respub., quae facili mo-
 mento, silentiati locum daret, in trans-
 quillum magna cum tua laude à te resti-
 tui posset, ingenti nos cura & maxima
 molestia liberaret. Habet praeterea hoc sin-
 gulare nostri Imperij corpus, ut grauer
 affecto laesoq; membro condoleat. Tibi ipsi
 rimenda erunt omnia, quandoquidem
 non ferrum, non satellitium Regem secu-
 rum reddit, sed fides. In ea si Germaniam
 continere velis, clementia & moderatio-
 ne, haudquaquam crudelitate opus erit.
 Omnibus hac odio esse consuevit, illa verò
 amor. Caue tandem, ne in ingratitude
 viuo

vituperium incurras, Quid enim Saxones huius maiores in tuos non contulerunt? Albertus Friderico proavo tuo Austriam, Maximiliano Belgium recuperavit & conseruauit. Huius patruus cum suffragijs omnium Imperator Romanorum electus esset, sua auctoritate perfecit, ut inde ex medijs Hispanijs ad Imperium nostrum gubernandum vocareris, & quod habebat in illud ius, in te totum transtulit. Horum beneficiorum memoria Saxoni captiuo commodo non fraudi esse debet: & profecto aequitati affine est, ut ab ea in hac sua calamitate subleuetur. Difficultatem hic impedimenta q̄ graua tibi à Pontifice & alijs obijci, ais. Sini haec ita: Sed quid ille vel alij suae gentis more consulant, nihil ad me. Me si consultorem adhibere libet, moderare victoriam, ea q̄, ut te & imperij Maestate dignum est, ut ea re. Parum est, si hostes tuos superaueris, nisi te ipsum quoq̄ & improbitatem consiliariorum vincas. At quia victoriam obtinuristi, omnia tibi licere credis? Non te id sentire arbitror. Nam & facilis illa victoria

Etoria, tibiq; à Deo concessa fuit, quod
 ipse non negas, dum in proverbio habes,
 veni, vidi, Deus vicit. Taceo, quod bona
 victoriæ pars ad milites, quorum opera
 in bello usus es, pertineat, ijs sicut nequa-
 quam permittis, ut ad infinitam cadem
 progrediantur, ita te quoq; modum & fir-
 nem iræ indignationisq; facere æquum est.
 Supplex est Saxo, se totum tibi permittit.
 Scis virtutem, fortuna destituta, nequa-
 quam contumelia, nedum supplicio esse
 afficiendam. Quod te minimè facturum,
 Cæsar clementissime, confido. Certè iram
 vincere moderatione, & hostem clementia
 maximi semper animi & Ducis est habi-
 tum. Ita Ioachimus Elector Brandeburgis-
 cus, sicut eloquio amanus erat, consilij sui
 delinimento, à proposito Cæsare retraxit,
 & ne capitalem urgeret penam persuasit,
 & perfecit, ut beneficij iure quoq; Turin-
 giã aliãq; proscripco illiusq; heredib. relin-
 quendo, honore afficeret, & ea humanitate
 tractaret, ut Saxo Virebergã perscriberet,
 sibi ab amicis derelicto hostes gratissima
 obsequia officiaq; cum summa veneratio-
 ne cer-

ne certatim omnia exhibendo offerre. Nec quidem imperator tantus, non nisi, nudo & aperto capite, & saluando, captiuum reuerenter prateruectus est, his ingeminatis verbis: Nescio an ego illum vel ille me captiuum teneat. Quippe quem facti saepe poenituit. Paulo ante mortem cum voluptatis gratia inter alia praelium Mulbergense in monasterio Diui Iusti in Hispania, aulais purpureis artificiosè intextum inspiceret, diu quasi attonitus consedit, tandem in hac verba gemebundus prorupit: Hac, inquit, est meta imperij & fortuna mea expeditio, à qua si temperassem, felicitas mea securiorem euentum consecuta esset. Neq; tamen parui Casari hac constitit victoria, quod postea ipse Auguste nō dissimulauit. Recensito enim exercitu, qui fuerat millium octoginta & supra, septem tantum millia reliqua fuisse. Ceteros vel praelium vel fames, vel caeli intemperies & inclementia, vel ciuium vis clandestina fraude astructa confecerat. Quod miratus Caesar, nunc, inquit, me bello non consuiuo, ut equidem haec tēnus putaueram, interfuisse intelligo.

Ita Viteberga dedita, et pax solēniter proclamata. In hoc bello Iohannes Georgius Brandeburgicus in castris ad Albim dignitate equitis aurati à Cesare ornatus fuit. In Borussia autem publicum luctum mors Dorotheæ Alberti Ducis coniugis, cuius funus X. April. solenni pompa Conigspergi elatum est, accessione magna adauxit. Interim crebris excursionibus Hispani vicinam Anhaltinorum Principum ditiosam infestabant, eiusq; plenam sibi direptionem promiserant. Sed mediante Ioa-chimo & deprecante imperatoriam clementiam ab illa hoc ingens periculum dispulit. Hoc exemplo Landgravius ad spem veniæ erectus gratissima eius opera Casaris mansuetudinem experiri volebat. Nec ille publice amans tranquillitatis actionē renuit, unaq; cum Mauritio Saxone Casarem interpellavit, qui conceptam formā, qua Landgravius in gratiam recipere posset, prescripsit, quam cum oblatā Landgravius approbasset, & ratam habuisset, fiducia horū Principum fidem interponentium, Halam venit, & in palatio nouo genibus annexus, veniam rebellionis precatus, suplex Casari factus est.

NICOLAI LEVTINGERI
 DE MARCHIA
 BRANDEBURGENSI EIVSQ;
 statu, IOACHIMO I IOACHIMO II
 & IOHANNES GEORGIO Sacri
 Roma. Imper. Principibus Electori-
 bus Commentariorum
 Partis II.

LIBER TERTIVS.

S igitur post publicam rebel-
 lionis deprecationem plenum
 integra reconciliationis apud
 Caesarem acquisita fructum
 animo concipiens, ad cœnam Albani Ducis
 cum Saxone & Brandeburgico Electoribus
 inuitatus hilariter venit, in qua custodijs
 positis difficultate summa implicatur: Id
 factum, sicut præter omnem opinionem ac-
 ciderat, principes initio agrè, postea cum
 Caesar interpellatus, consiliarijs formulam
 reconciliationis in diuersum rapientibus
 sententiam, in proposito suo obfirmatè per-
 sisteret, indignissimè tulerunt. Et quan-
 doquidem Atrebatensis huius iniurie au-

K

Etor

etor crederetur, Ioachimus Elector vehe-
 mentis iræ procursum aduersus fallatiam
 hominis, & ferrum aduersus Episcopum
 distringens, vim, nisi ab amicis prohibitus
 fuisset, violenta manu fecisset. Fidem ta-
 men suã liberare, & si precibus nõ foret lo-
 cus, armis Landgrauij pristina fortuna red-
 dendi vincula expiare omninò constituit.
 Mirabantur autẽ pleriq;, quod cum religio-
 nis diuersa esset, Cesar tamen eum copiosa
 & perpetua fauoris indulgentia, ac simul
 Ferdinandus Rex prosequerentur: & si-
 quidem finitimæ circum circa regiones
 bello flagrantes, dissidijs, tumultibus, atque
 rapinis vexarentur, Marchia non solum ho-
 stile nihil experiretur, ac violentorum ex-
 pers armorum in summa securitate dege-
 ret, sed ex vicinis etiam regionibus, eò
 transportatis fortunis suis, tuto alieni con-
 cederent. Quod etsi prouidentia diuinæ
 adscriberent, multum tamen principis sa-
 pientie, quæ murus erat tutissimus, & qua
 Cesaris animum ad pacem flectebat, dan-
 dum fatebantur omnes. Interea prælijs
 funestissimis Domini in excelsis pericula-
 ta,

ta, lue pestifera admodū, in ministros inprimis Ecclesie, grassante, ditio uniuersa grauissimā cladem accepit. In quo benignitate diuina subleuata in aliqua felicitatis parte posuit, quod in manus Dei misericordis potius, quam furentis hostis gladiū incideret. In hac Saxonie clade Iohannes Georgius Princeps nuptias cum Sabina Georgij patrueles filia reparando Onolsbachij ad secunda vota transit. Berolini Iohannes Agricola Islebius Marchie Ecclesiarū Inspector generalis pro concione Deo gratias egerat, quod sicut olim populum Israēliticum per Iordanem in excidium Cananæorū, ita Cæsare per Albim miraculosè contra Saxones duxisset, victoriamq; facillimā concessisset, ne a conuicijs quidem abstinens. Paulò post lethali famulus ipsius morbo oppressus est, qui cum horrenda admodū atq; dira in dominum & alios, tristiaq; de istorum vitæ exitu inter grauissimos dolores nomine inclamasset, ab aliquibus pro vaticinio arreptum, & passim in vulgus sparsum fuit, dolueruntq; pij egregiè vexati, DEVM & Religionem non meliori cordi esse homi-

nibus. Ergo cum à Caesaris victoria Hispanorum iniurijs, vexationibus, & opprobrijs exponerentur, Caesarisq; edicta & iram metuerent, verbi diuini Pracones partim eiecli Ecclesijs, excussiq; bonis suis, partim spontè cedentes solum patrium mutauerunt, & in Borussia concesserunt. His Albertus Brandenburgicus Dux hospitium liberaliter dedit, consolatusq; est humaniter, restare aliam patriam caelestem, ex qua Caesar illos excludere, & aliud patrimonium paratum esse, quod eripere nequaquam possit. Per hos multum istis in locis res Ecclesiae crevit. Interim Ioachimus Elector Magdeburgum, quod adhuc intrepide Caesaris imperio contraibat, eiusq; indignationem & odium fortiter perferebat, sibi à Senatu & plebis primoribus, Iohanne Alemanno & Vlrico ab Embden Cos. V. Iunij dedi postulat, ni pareant, priuilegia illorum immunitatesq; à Caesaribus & Principibus concessas irritas pronunciat. Cui responsum est, istud in potestate Senatus non esse: pertinere ad populum, ad quem tamen postulata ista non detulerunt. De-
nudo

Magd.

nuò igitur XV. Iunij idem petit, sed in sententia priore perseueratum est. Postulauerat idem die XXIX. Aprilis Mauritius Saxo, sed multò grauioribus verbis, cui ita responderunt, ut ostenderent, se nõ negare cum Electore Saxonie Iohanne Friderico, & alijs Principibus atq; ordinibus fædus iniisse, quibus cum fidem dederint, eam seruare decreuisse, neque dubitare, D E V M ad nominis sui gloriam tutelam suis defensionemq; contra hostes præstiturum. Ea constantia Cæsaris Spiritus aliquantũ, repressit: Etsi enim Germaniæ seruitutem erepta libertate, quæ nimia videbatur, sibi pollicitus crederetur, ut qui moneta cuse versum Psalmi inscripsisset, ad alligandos Reges in compedibus eorum, & nobiles eorum in manicis ferreis: fortitudine tamen urbis Magdeburgi, clade suorum ad Visurgim, & seditione Halensi territus, alia consilia agitare cepit, vt Pontifex Romanus non frustra doleret, se immerito Maximi Fortissimiq; cognomen tribuisse, & cum uuas sperasset, labruscas collegisse. Plurimum momenti etiam huc attulisse Ioachi-

mus Elector iudicatur, consilio fideli, studioq; indefesso pro Repub. excubando, & spes Caesaris summa virtute, solertia & sapientia praecedendo. Quod si absq; hoc uno fuisset Respub. periculoso isto tempore mutationes ingentes subiisset. Hoc anno ius omne, quod sibi Magdeburgenses in nundinis, contractibus, permutationibus, emptionibus & venditionibus mercium per urbem & agrum, in Albi, emporio & portu, vendicabant, ipsi à Carolo V. Cesare die XX, Iunii sub conditione plenaria possessionis donatur. Quod Tangermundum transferre in animo habebat, sed cum ad ultiores postmodum res illa tractatus diduceretur, soluta urbis obsidione per interuentum pecuniae, composita fuit. Frequentes tunc crucis funestae imagines in vestibus hominum apparuere: In Francia quoque natus infans cultellum praecutum ventri insertum & umbilicum perfodientem exhibens, Germaniae fatum praedixit. Quo tempore Caesar Augustae Principum & Ordinum comitia religionis & pacis instauranda, sumptuum in bellum impensorum,

XLVIII.

rum,

rum, atque Philippo Filio successionem in Imperio acquirendi causa habet. Ad ea, ut capto Saxone & Landgrauio reliquis parem terrorem & formidinem incuteret, cum armato milite profectus erat. Hic ordinibus librum à Michaële Sidonio, Iulio Pflugio, & Iohanne Agricola Islebio consarcinatum offert, ijs mandatis, ut approbatum Ecclesijs suæ ditionis sine recusatione proponant: nisi pareant pœnam minatur. Erat liber iste totus captiosus, perplexis, inexplicatis & obscuris dogmatibus refertus, vera permiscens falsis, perspicua intricatis, certa ambiguis inuoluens, ut verè Samsæi Epiphaniici, qui illum acceptarent, nullius quasi religionis, essent. Is autè coloribus in theatrum proferebatur, ut quamuis à plerisque suspectus haberetur, non tamen cuiusvis esset omnia, quibus fraus subesset, intelligere, ut vel doctissimis negotium facesseret, quo nomine aliquibus imposuit. Illi titulum ineptè Interim fecerant, fortè quia Papatus interitum presagiebat, vel quod Theologiam Pontificiam mendacijs scaterere ostenderet. Inuer-



ſæ enim literæ Mentiri vocem plenè exprimunt: vel quod tandem citiùs interiturus eſſet, quàm ſubſcriptores reperiret. Hic liber grauiſſimè paſtores Marchiæ exercuit, & Principem ſummis moleſtijs obiecit. Cùm enim is Cæſarem, cui aliàs addiſtiſſimus erat, in ea fortuna temerè irritandum minimè putaret, intelligeretq̄, eum, qui fortioris imperium detrectaret, hoc agere, quod ille, qui in iugulum ſuum arma ſpontè præſtaret, inde verò lædendi Numinis metus pectoris munimentum ancipiti periculo vulneraret, diuerſi motus præcordijs incluſi, formido & deuotio, animum illius perplexa cunctatione diſtractum ad extremam hæſitationem redegerunt: Abnegatæ ſiquidem doctrinæ ultorem DEVM, cultæ Cæſarem vindicem metueret. Itaque Paſtores & Ordines ſuæ ditionis Berlinum contrahit, ac ſententiã illis Cæſaris exponit, cuius ſit mandatum, ut librum oblatum uſque ad conciliũ futurum acceptum in Eccleſijs proponant auditoribus, & ad eum doctrinam ſuam, vitam, & quæ pro ſacris agenda ſint,

sint, conforment. Inter Ordines consilijs certatum est, nec certum quid statui potuit. Pastores autem plerique se fortiter decreto opposuerunt, petentes ut in agnita veritate Princeps persisteret, nec se ab ea ullis minis terreri pateretur, potentem Cæsarem, longè potentiozem DEVM esse, qui verbo suo oportuna defensione & ope affuturus esset. Percunctatus igitur ab iisdem, an nihil in approbata semel doctrina, præcipuè in ritibus & ceremonijs concedi posset? monet, ut re diligenter examinata eò consilia sua referant, ne ipse pertinacia temeraria in rebus non necessarijs, nec impijs, aduersando Imperatori, qui sanè singulare restituendæ concordia studium præ se ferat in rebellionis & contumacia suspitionem incurrat, & si Cæsar responsis & excusationibus non acquiescat, & bello forsitan impetat, ut sine offensione DEI, legum violatione & magistratus iniuria subditis & conscientia sua rectè consulere possit. In hac perturbatione Islebius Principem penè in eum sensum adduxisset, quem liber anigmaticus fingebat. Sed

à cæteris fortiter reclamatum est, quibus
eo nomine multum cum illo negotium fuit.
Cepit inde Adiaphoristarum secta, qua Ec-
clesias passim vehementer inquietabat. In-
ter alia docebant, tempore persecutionis ali-
quas esse ceremonias & seruitutem feren-
dam, ne religio tota amitteretur: Pro con-
ditione loci, temporis, & personarum in
religione esse agendum: Esse tempori ob-
sequendum: Aliud spectandum, aliud di-
cendum: Si tempore persecutionis omnes
ingenuè suam sententiam profiterentur,
nullum persecutionis modum aut finem
futurum: Ingenuam confessionem veri-
tatis contra Magistratus edictum esse re-
bellionem: subditos esse excusatos, si à ma-
gistratu coacti errorè amplecterentur. Ce-
remonias Papisticas non damnare, si modò
verè DEVS in corde coleretur: Sacra-
mentum Cænæ Dominicæ sub una specie
apud Pontificios bona cōscientia sumi: Ze-
lum esse temerarium propter confessionem
veritatis sibi periculum creare: Sine dis-
pendio salutis Pontificias Missas frequen-
tari, modò passio & mors Christi conside-
raretur:

raretur: adorari sine periculo animæ & læsione Dei Idola, modò cor non cõsentiret. Afferebant multa alia, quæ ab Orthodoxis Ecclesijs & doctõribus reijciebantur. Cæsar autem, qui non in fucatis officijs, aut simulato sacrorum cultu acquiescebat, imperabat, ut qui discessionem ab Ecclesia Romana fecissent, sub fide publica ad reddendam de doctrina sua rationem, & ad exponendas causas seijunctionis illius sisterentur. Ita passim Episcopi ius suum repetebant, Ecclesiasq; ad tribunal, ut vocabant, Catholicum reuocabant. Francia Orientalis hac in parte multùm periclitabatur: In ditione quoque Alberti Brandenburgici ad mutationem res Ecclesiastica spectare videbatur. Cùm enim princeps mandatis imperatorijs urgeretur, conuocatis Ordinibus & Pastoribus suis petijt, ut librum Augustanum totum amplecterentur & sequerentur. Habita communi deliberatione, dictisq; ordine sententijs pio consensu nobilitatis, ciuium & Pastorum, modestè ab uniuersis reclamatum est: Decurrebatur igitur ad aliud consilium: Proponeban-

tur enim articuli, qui doctrinae quidem
& Liturgiae mutationem non admittebant,
sed plus rituum continebant, qui tamen ut-
cunque ferri posse videbantur. Imuniebantur
edicto, ut qui huius normae partici-
pales esse non vellent, discederent. Erant ex
Pastoribus plerique, qui discedere malebant,
quam in impios abusus & errores consenti-
re, sed cum Ecclesiae instarent obsecrando,
& obtestando, ne desererentur, Pastores
Philippum Melanthonem consulebant: Is
suo usus iudicio per literas suavit, ne pro-
pter aliquam servitutem, quae sine impieta-
te sustineretur, Ecclesias desererent, in-
primis, ne propter lineam vestem in tem-
plis vastitatem facerent, siquidem multa
duriora onera quotidie, odia potentum,
contumacia populi, in fucatis animis ma-
levolentia, docentium discordia, iniuria,
inopia, aliaque eius generis multa, quae in
tranquilla etiam gubernatione obvia es-
sent, perferrentur. Id consilium postea
in acerbam reprehensionem apud quos-
dam incurrit, timidiores & molliores
Philippum iudicantes: aulam enim atroci
scripto

scripto perterrefaciendam fuisse metu seditionis, & hac Gorgone reprimendam, ne quid in Ecclesijs mutaretur. Id facere ipsi integrum non erat, ne magis irritarentur aduersarij, qui nolebant sibi leges à contraria parte ferri, & ne talia scripta forent classica bellorum civiliũ patria: nec volebat omnino deserri Ecclesias, sicut in Sueuia. Et erat aliàs ipse in summo periculo, eò quod Pontificiorum conatus impedire unus crederetur, ideoq; Cesaris animũ per se ægrum magis magisq; isti accendebant, atq; stimulos subijciebant, ita ut eum sibi à Mauritio Saxone dedi, velut tubam, quæ classicum superiore bello cecinisset, et nunc iisdẽ artib. sua edicta eluderet, unde Resp. uniuersa summis difficultatib. obijceretur, pro imperio postularet. Monuerat autẽ iam antea Ferdinandus Rex Mauritium Saxonem in comitijs Augustanis, ut illum tempori à se dimitteret, ne occasionem alienioris animi Cesari præberet. Et si autem tunc quoq; Regi responsum fuerat, Melanthonẽ illum esse, cuius opera res Ecclesiastica atq; disciplina in ijs regionibus conseruaretur, quem

quem Caesar ipse expetiuisset, & stipendium decernere constituisset, ut eum de controuersis doctrinae Christianae capitibus audiret: unde factum esset, ut securitatis & protectionis fidem Mauritius Dux daret: petitumq; simul, ne de eo secus atque de bono viro ipse sentiret, nec alium Caesari praedicare vellet: tandem ubi tuto lateret, prouisum erat, parum tamen id Philippo profuit. Nam paulo post per colloquium praesente Ferdinando Rege & Ioachimo Brandenburgico in comitijs Augustanis Caesar ipse Mauritium Ducem ea de causa interpellauit, & Philippum in numerum eorum reposuit, ut qui Principes seduxisset, & in defectione confirmasset, & idem in ipso Mauritio conaretur. Mandauit simul, ut suae eum traderet potestati, quem ille excusans, Non sine dolore, inquit, intelligere, eum virum tantis criminibus apud Caesarem reum fieri, crare aut, ut priusquam ad alia consilia decurrat, rem certo exploret, se enim ita iudicare, quod si Philippo obsecuti essent ij, quibus fortuna iniquior sit, in eas nunquam angustias venturos fuisse.

fuisse, posse optima se fide testari, esse pi-
um, pacis amantem & doctum hominem,
cuius opera Vitebergæ & in vicinis regio-
nibus Ecclesiastica disciplina hætenus con-
seruata, & multarum sectarum & dissen-
sionũ tumultus sedati impeditiq; sint, eaq;
de causa alere, ut non necessarias disputa-
tiones atque altercationes prohibendo at-
que auertendo in religione piam consensio-
nem constituat. Adductum verò Cæsaris
auctoritate potissimum, quandoquidem à
fide dignis accepisset, quod eius opera in
controuersis doctrinae Christianae capitibus
cognoscendis vti constituisset. Huc per-
tinere, quod nuper de admonitione Ferdi-
nandi Regis ipsi denunciari, graue sibi
futurum, aduersus Cæsarem patrocini-
um præstare, & ut sibi ipse caueret, iusse-
rit, ex quo scire non possit, an adhuc in
suarum Regionum ditione agat. Quan-
quam autem tum ijs acquiescere videretur
Cæsar, attamen cum mense Iunio opera
Andreae Kegelij scriptum quoddam, præ-
fixo Philippi Melanthonis nomine, de cor-
ruptelis libri Augustani Magdeburgi ede-
retur,

retur, & mense Augusto Casari exhiberetur, prior indignatio tanta accessione aucta fuit, ut prid. Cal. Septemb. Spira Mauritio denuò has literas mitteret, quas, cum antea sint editæ, huc adscribere placet. Non potuisse se facere, quin illi de eare, quam ægerrimo animo ferret, per literas significaret. A fide dignis hominibus ad se delatum esse, Philippum Melanthonem, à quo meritò pro ratione præsentium temporum, & pro ijs, quæ antea commisisset, aliud expectare debuisset, in malitiosis & virulentis consilijs suis pertinaciter perseuerare, & contra librum Interim varia, & quæ præterea sibi contraria sint, multiplicia suscipere, idq; ut permittatur, nullo modo sibi commodum esse, neque se permissurum. Ideò se grauitè mandare & omnino velle, ne Princeps Elector Philippum Melanthonem in ditionis suæ terris amplius alat, neue degere sinat, sed ab his relegatum exulare ut iubeat, & hac in re consideret, Philippum etiam absque hoc præcipuum fuisse ex ijs, qui proximos motus & editionem aduersus se, virulentis & seditiosis

ditiosis cartis suis excitassent atque confirmassent, quodq; causa illi adhuc coniunctus reconciliationem à se nondum esset nactus. Quibus Mauritius Saxo vehementer turbatus per occasionem prid. Cal. Nouemb. rescribit: De Philippo Melanthonem quæ Imperator scripserit, se dolente animo hominis causa, accepisse, quodq; ad reconciliationem eius attineret, in capitibus transactionis factæ cum patruo comprehendendi, quibus in gratiam recipiantur uniuersi, quorum opera ille usus fuerit, unâ cum subditis, quos habuerit, uniuersis, præter eos, qui nominatim ab ea reconciliatione excipiantur, in quibus Philippi nomen minimè fuerit. Et verè se affirmare, Philippum Melanthonem in omnibus negocijs ad Cæsarem pertinentibus, quantum ipse scire posset, & suo loco, & ad alios eum se gessisse, ut qui tolli dissidia piè & rectè compositis rebus cuperet, & cuius opera multū boni per regiones suas fieret, quem si his expellere deberet, posse Imperatorem cogitare, quàm ignominiosum id sibi & odiosum tam apud suos, quàm ad exter-

L

nos



nos esset futurum, de quo tandem maioris
 aliquid periculi existere posset. Itaq, quàm
 subiectissimè orare, ut in horum conside-
 ratione omnem conceptam de Philippo Me-
 lanthone abalienationem Imperator beni-
 gnè deponeret, & tantisper Philippum Me-
 lanthonem in suis regionibus sibi permit-
 teret, quam diu ille gloriam DEI, Chri-
 stianam & piam consensionem, & Impera-
 tori debitam obedientiam prouehere ani-
 maduerteretur, & seditiosè nihil moueret,
 aut moliretur. Ita Philippus Melanthon
 tanti Principis studijs Reipub. Christianæ
 seruatus est. Interea Ioachimus Elector, ne
 quid inconsultò aut impiè statueret, Iutre-
 pocci XVI. Decemb. cum Mauritio Saxo-
 ne, Georgio Anhaltino, & Episcopo Num-
 burgenfi, qui Iulius erat Pflugius, conuen-
 tus agit, accersitis quoque Theologis, Phi-
 lippo inprimis Melanthone, ubi de Canone
 quæsitum est, qualis is esset, & an ita
 corrigi posset, ut tolerabilis aliquis usus
 eius fieret. Hic accurata oratione Anhal-
 dinus, qualis in his regionibus, si decre-
 tum Augustanum in executionem veni-
 ret,

rer, dissipatio futura, & quanta Dei offensa & pœna suslinenda foret, exposuit, ac tandem, ne Ecclesias pulcherrimè constitutas & rectè sentientes hac comprobatione distrahi pateretur, atque proderet, diligenter hortatus fuit. Deum, qui sit precibus placandus & deprecandus, omninò causam hanc, quæ propriè ad eum pertineat, rectè procuraturum. Intelligebat Brandeburgibus suum periculum, ideoq; captabat undiq; consilia, quomodo se ex ea difficultate expediret, eoq; magis afficiebatur quòd occurrerēt, quæ fratri Iohanni nuper in comitijs accidissent. Quod cum decreto Augustano à Cesare subscribere iussus fuisset, vacillantibus & consternatis reliquis, multis etiam apertè accipientibus, quamvis sine modo urgeretur, & ingentibus promissis oneraretur, contra boni & constantis Principis officium obsequijs impijs firgendis facere noluerat, sed Cesarem omnibus formidabilem præsentem Romanorū rege Ferdinando adierat, & vitā se potius amissurū quàm in ullam profinā doctrinā consensurū intredidē professus fuerat, simul Cesare promissis,



cuius in superiori bello reus factus fuisset, nō scilicet doctrinā in Ecclesijs & religionē mutaturū, admonens: Qua ille constantia offensus grauem iram conceperat, & tanto animi robore praeditum, diuināq; caritatis munimento securiorem, quā ut humanas extimescendo vires hæsitarēt, è vestigio, ne suo exemplo alijs noceret, domum abire iusserat. Ea indignatio effecit, ut per literas & internuncios, ne rebus minus necessarijs ad salutem non facientibus sibi incommodaret, suisq; subditis periculum extremum crearet, prudentia consilia disquireret. Eandem ingressus sententiam Iohannes frater Philippum imprimis Melanthonem consuluit, quid de libro Augustano sentiret, quid tandem, si vim Imperator pararet, esset faciendum? Qui die XXXI. Iulij rescribit: Se tractationes susceptas Augustae & vehementes & periculosas non sine admiratione & dolore ingenti cognouisse, nec unquā existimare potuisse, Imperatorem tam durum sese & inclementem erga laude dignum & benè meritum principem exhibiturum. Itaque grauiter affici condi-
tione

zione illa, qua certamen sustinuerit tam asperum, DEVM orare, ut illum Spiritu suo sancto confirmet, & salutaribus consilijs instruat ac regat, & benignè tueatur & protegat. Ostendere istiusmodi aetiones, vehementer incitatum & inflammatum esse animum Imperatoris contra doctrinam Ecclesiarum harum regionum: & quamquam magna sint & multiplicia peccata, quibus hæ pœna attrahantur: considerare tamen, certò futurum, ut veritatem doctrinae suae Deus extingui non sinat. Cum autem suum de libro Augustano iudicium & consilium quaecumque expetat, clarè expositurum, quod ipse atque in Academia Vitebergensi alij consilium sequantur, & alijs dederint. Primò Pastorum Ecclesiae & Doctorum responsiones esse à politicorum responsionibus separandas, ita ut expressè & clarè affirment, se librum Augustanum neque amplecti nec probare velle, neque ulla re confirmare. Articulo enim Iustificationis certam fraudem intextam, quam etsi aliqui pingant interpretationibus, iudicia tamen piorum Do-

etorum, qui Sophisticen intelligent & ode-
 rint, potiora ducenda. Quorum censura
 mox perspicuum futurum sit, errores & ab-
 usus manifestos in eo libro stabiliri. Quan-
 tum ad se attineret, istam, DEO iuvan-
 te, Sphingem nunquã probaturum, eiusq;
 rei causas habere maximas & grauis-
 mas, seq; & hanc miseram atque erumno-
 sam vitam suam DEO commendaturum,
 siue capratur propterea, siue in exilium
 eijciatur. Interrogationem autem planam
 & solutu facilem esse, quid deceat in eo
 casu Pastores facere. Sed quid Ordinibus
 politicis consuli debeat & possit, dissimile
 esse & varium. Habere enim librum quos-
 dam articulos uniuersales, quos intellige-
 re Christianos omnes, & quid de singulis
 sit sentiendum, secum constituere oportet,
 at, sicut capita de Iustificatione, Confes-
 sione, Missa, Inuocatione sanctorum, cras-
 sis abusibus Sacramenti in circumgesta-
 tione: Aliquos non esse uniuersales, quos
 nosse & intelligere non possint omnes,
 sicut capita de potestate interpretationis,
 & de Synodis. Nec suadere, ut de Adia-
 phoris

phoris pugnetur, vel de auctoritate Episcoporum, eam optare & cupere Episcopos retinere, & suo officio, sicut præceptum sit, rectè fungi. Inter Magistratus verò & ordines politicos ijs, qui doctrinam Christianam non intelligant, vel auctoritati doctrinae caelestis studia & benevolentiam hominum anteponant, frustra consuli: Quod si Princeps in uniuersalibus libri articulis, quæ sit veritas, intelligat, & quod illi contraria sint libri decreta agnoscat, contra conscientiam librum nullo modo recipiendum aut probandum. Existimare autem, tempus ipsum suppeditaturum consilia. Ex ciuitatibus enim multos isti non assentiri, qui quidem iam à Constantiensibus & Lindaensibus reiectus sit. Argentina etiam nihil hætenus conclusum. Et moram interuenturam spem esse, propterea neq; festinatione in respondendo opus. Sentire se, si Princeps, qui momenta veritatis in principalibus articulis rectè intelligat, debita sui iectione imperatori declaret, quæ an libro probare, quæ non possit, & polliceatur præstiturum in rebus Adiaphoris obedientiam,

entiam, Imperatorem acquieturum. Talem moderationem Norinbergam expectare, cui petenda tempus suppeditaturum occasiones & consilia. Oportere & hoc considerari, quod Magistratus, qui librum Augustanum amplectatur, se obliget ad innocentes Pastores & multos alios persecuendos, qui propter graues causas assentiri libro non possint. Quales persecutiones nequaquam sint adiuuanda. Quod autem de defensione interrogetur, in ea re disputatione non esse opus. Sicut Paterfamilias uxori & liberis debeat defensionem, quantam prestare possit, si à latronibus in sua domo opprimatur: Sic Magistratus Ecclesijs suis & insontibus subditis defensionem debere, quò ad illa sit possibilis: Si sit impossibilis, interrogationē hanc superuacaneam. Scriptum esse: Date Eleemosynam ex facultatibus, hoc est, quoad potestis dare. Esse autem Imperatoris potentiam tantam, ut nostros Principes sese ei opponere posse non existimet. Quare qui vellet confiteri veritatem, commendaret sese DEO. & cogitaret, quod scriptum sit: Omnes
capit.

capilli capitis vestri numerati sunt. Pastores quoque, quos Berlinum Elector euocauerat, rem inter se communicatam ad Philippum Melancthonem & Doctorem Pomeranum, quibusdam ex suorum numero Vitebergam ablegatis, retulerant. Illius iudicium & responsum, quid Intrepocci concessisset, & quid de Salis & oleorum consecratione sentiret (rumor enim passim divulgabatur, eum volentem largiri multa) anxie expectabant. Quod tandem eius argumenti allatum est: Doctrinam adhuc illam, quae inde ab institutione Evangelij sonuerit, & quae cum scripto Marchionis Electoris ante annos octo Ecclesijs Marchiae proposito congrueret, Vitebergae retineri, eam nequaquam mutaturos, nec vitiosos cultus improbatos restitutos. Deliberationi Principum arcanae, in qua facta sit subscriptio, se non adhibitos, nec exempla illorum articulorum habere: Consecrationes autem oleorum & salis inter Adiaphora minimè recensere, quin potius maximè improbare. Quod si in illis articulis mentio facta esset unctionis, illud esse additum, restare articulos, non con-

ciliatos, de quib. necesse sit Episcopis indicari, quid desideretur. Ad librū Augustanum quod attineret, si eū Princeps urgeret, consulere, ut ad normam se illius scripti & confessionis, quam ante annos aliquot Ecclesijs suis publicauerit, referrent, & ab ea nunquam se diceffuros aperte profiterentur. Quod si eam ipsam in Augustano libro esse comprehensam & planè congruere, quod affirmare etiam velit Imperatori, subiungeret, ut tum nihil se principi, quid Casari communicaret, prescribere, sed palàm contestari, se normam hactenus seruata secuturos, responderent. Addit etiam hoc, se mirari, cur Islebius illis aui eam azaie promitteret? Cū manifestè Ecclesias vastari, pijs doctōribus cum familijs in exilium pulsas, videret. In Sueuia & ad Rhenum Pastores plures quadringentis esse eiectos. Tubingæ unum sacrificulum restare, qui ut libro Augustano satisfaceret, oblationem restitueret. Suadet tandem, ut aliquam potius, modo non sit cum impietate coniuncta, quàm ab Ecclesijs discedant, seruitutem ferant. Hoc modo edoetis mul-

zunt

rum contentionis cum Islebio, qui Generalis nomine Ecclesijs præsidebat, & Episcopatum forsitan ambibat, sincerioribus fuit. Et cum uniuersis nec minis nec pollicitationibus persuaderet, de insinuando singulis consultabat. Sed illi masculè reclamantes, rem esse maximi momenti, quæ ad se solos non pertineret, sed ad multarum conscientiarum perturbationem spectaret, confirmabant. Offerre Imperatori se suaq; omnia, sed tot prodere animas nõ posse. Se q; ipsos metu aeternæ pænæ absterri, ne diuersam fidei formã amplecterentur. Quod si propterea inuidia & odio grauarentur, imò si Princeps fortunas vitamq; ipsam eriperet, ferenda illa omnia, animam profecto, quam Seruatori suo ea labe intactam reseruarent, non iri ereptam. His inter se communicatis Ioachimus Elector, qui dissona studia attentiore voluebat animi preparatione, satius ducebat, plus diuini, quàm humani timoris viribus indulgendum, interim iram Cesaris obsequij figmento præcurrentem, quàm negatione manifesta eundem in patriam acrius incessandam ar-

mar-

mandum, donec captata occasione simul à Principibus & ciuitatibus Imperij, quas eadem difficultate & sollicitudine impedi-ri videbat, reclamaretur. Quo consilio prudenti felix euentus respondisse existi-mabatur. At Iohannes frater perpetuò sui similis constantia singulari mandata impe-ratoria eludebat, quamcunque potius subi-re fortunam, quàm hoc nomine Cesari gratificari, paratus. Qui magnam ex ea fortitudine laudem apud omnes bonos tulit. Sub hoc tempus Imperator solenniter Magdeburgum nomine quidem criminis læsæ maiestatis, sed verè quod edictis impijs in Religionis negocio impedimenta inferendo obuiam ire, & suo exemplo alijs nocere videbat, publicè sub cælo proscribit. Nequaquam enim libertatem illam in de-uicta, ut gloriabatur, Germania ferendam iudicabat. Forma illius decreti ad Ioachi-mum Electorem missa est cum mandato, ut quibus modis posset, ciuitati incommoda-ret, daretq; operam, ut obsessa expugnataq; dignum rebellionis fructum perciperet. In Borussia tunc Albertus Dux passim arces
in ib-

in illa communi sub Cruciferis defectione,
bellisq; cū Polonis gestis dirutas summa cu-
ra instaurabat, in primis Brandeburgū ma-
gno sumptu exedificabat. Quā tempesta-
te Polonia in publico propter defunctum
Regem Sigismundum eius nominis pri-
mum luētū erat, ad cuius cohonestandas
exequias magno cum comitatu profectus
Albertum patruelem unā secum adduxit,
Mulum Rex ille Poloniam amplificauerat,
crebris victorijs illustrauerat, Prussia pul-
sis Germanis auxerat, urbibus splendide
& magnificē exstructis Cracouia, Posna-
nia, Leopoli, Varsauia, Lublino, Gedano,
& alijs emporijs ornauerat, legibus in meli-
orem statum transposuerat, arcibus in pri-
mis Camenecensi in Podolia, Leopolensi,
Sendomiriensi, Cortinensi, Vilnensi, Cra-
comiensi & alijs frequentiore fecerat,
adeoq; nomē Polonicum euexerat, ut ab in-
de a Germanis & exteris coleretur. Ab illo
in feudū concessa est Borussia Marchionib.
Brandeburgicis, eoq; nomine auunculo opti-
mē de se merito in honore supremo aderat.
Hoc anno aliquoties in aëre species Iohannis

Fris-

*Friderici Saxonie Elect. captiui conspici-
 tur, attestante Deo, Principem illū sibi curæ
 esse, monuitq̄, ut similit̄ constantiā pari ani-
 mo temporib̄ periculosis præstarent. Cū
 enim Ecclesiarū Doctores passim in exiliū
 agerentur, destituebantur p̄j salutaribus
 consilijs, quæ ne ex libris quoq̄ peterentur,
 grauisimis Imperatorijs mandatis interdi-
 ctum erat, ne quidquam in typographicis
 officinis prælo subijceretur. Ita nusquam
 earum usus patebat, nisi Magdeburgi, eò
 mittebantur talia scripta, undè in plura
 exemplaria descripta excusaq̄, omnibus
 communicata fuerunt. Auxit id quoq̄ fa-
 ctum offensionem Casaris existimauitq̄,
 in hanc urbē, unde multiplicibus exposita
 iniurijs & rapinis, summas experiebatur
 difficultates, ex quibus tamen singulari
 tandē constantiæ laude fortissimè eluctata
 est. Frequentes adhuc Iudæi Marchiam
 inhabitabant, & Principis indulgentissi-
 mi tutela & clementia abutebantur &
 fruebantur Ex ijs a quibusdam Magdebur-
 gensibus Michael Iudæorum Rabbi credi-
 tus, qui apud Ioachimum Electorem in ma-
 gno*

gno numero & precio erat, per indicia ac-
 cepta apud Crodonum capitur, & emun-
 genda pecunie causa, cum datissimus es-
 set, captiuus abducitur, qui ut re in trepida
 satis animosus callidè se ipsorum voluntati
 permittens, simulat simplicem obsequendi
 per metum vinculorum animum, eò usque
 dum pago imminet. Hic incolis de ope fe-
 renda contra latrones inclamans auxilium
 publicum eius loci appellat, & cum splen-
 didè vestitus esset, dignitatemq; præ se
 non vulgarem ferret, facile in eam opinio-
 nem homines rusticos adduxit, ut Regio-
 nis illius præfectum crederent, inprimis
 cum tanta constantia & seueritate mina-
 retur, nisi vim illatam totis viribus pro-
 pulsarent, liberumq; è vestigio vel cum pe-
 riculo suo a latronum violentia sisterent,
 & grauius ulciscerentur, pœnas extre-
 mas luituros. His igitur illi vocibus & in-
 citamentis obsecuti, è suis repentè domi-
 bus singuli dissultantes vehementi omni-
 um incursum, dato signo Magdeburgenses
 inuadunt, qui pauci a pluribus facile fu-
 gati & circumuenti, liberato Iudæo, in
 vincu-

XLIX

vincula ducti sunt. Ex hoc periculo, in quo tamen animum non desponderat, Iudæus Berlinum properans, summo suorum gaudio acceptus, Electori rem omnem, sicut gesta erat, singula narrando, pleraque exaggerando, multa tandem fingendo exponit, perficitq̄, ut ad Ferdinandum Regem perscriberet, ageretq̄ diligenter, ne impunè id Magdeburgensibus esset factū. Nec sibi ipsi Iudæus deerat, quippe Pragam profectus, accusator gravissimus existens, facile obtinuit, ut capitis damnarentur, eiusq̄ iudicij exemplum Mauritio Saxoni mitteretur, & simul executio demanderetur. Synagogam conventus Iudæorum Berolini habebat (eo enim licentia illorum Principis humanitate progressa erat) hic solenni indicto festo publicè DEO suo gratias pro victoria illa aduersus Christum agere iussit: Itum deinde ad conuiuia, sic enim antiquitus fieri acceperant, quàm ibi turpiter, quàm blasphemè Christo nostro sit illusum, quis sine metu offensa diuinæ referat? Tanta erat debachantium insolentia, ut non fontes, sed Christum ipsum debella-

debellatum crederent. Postea cum ex mandato Ferdinandi, qui quamvis Imperatorio nondum titulo censeretur, Casareis tamen partibus pleno procurationis officio perfungebatur, Torgæ Mauritio Saxone supplicia exigente, discrimen capitis die XIII. Maij adirent, ultimus eques præsentiori animo, DEVM, inquit, testem facio vocoq̃, nobis iniuriam fieri, & rem planè indignam peragi, dum Christiani nominis septem, nobili & honesto loco & genere nati, ob unius scelerati & blasphemæ Indæ, cuius tamen vitæ minimè insidiati sumus, sed cum quotidie omnia nostra vitæq̃ ipsa omnium libidini, rapinis & iniurijs exposita sit, & ex omni parte in nostra corpora sæviatur, quod prece & precio, quod iure consequi non potuimus, coacti non à Christiano nomine, sed eius hosti repetuimus, accusationem crudeliter necamur, fateor vobis in conspectu IESU CHRISTI, hanc crudelitatem supernæ ultionis ira pensatam, nec quidquam hic impune factum, breui vos comperturos. Eadem hora pisci-

M

na ad

na ad zorbichum in cruorem versa multis
 spectaculum, & illis innocentia testimoni-
 um praeiuit. Iudaeus verò cum ex conui-
 uio, in quo Mariam Hariam & sterquili-
 nium, Christum Tholam & latronem infi-
 nitis conuicijs cantauerant, domum rediis-
 set, in contignationem superioremedium
 suarum hilariter ascendens, dum conclauē
 secretius reſerat, subito obuerſa facie pau-
 mento deſuper illiſus exanimis decidit.
 Ita qui ex aliorum miſero interitu volu-
 ptatem animo perceperat, prius tragicum
 non ſine omnium voluptate exitum per-
 ſentiſcit, quàm alieno ſanguine oculos ani-
 mūq; paſcat. Perſcripſerat hanc victori-
 am ad alios quoque ſuorum conuentus: di-
 emq; illum, quo liberatus erat, ſolennem
 eſſe iuſſerat, ſpemq; fecerat ingentem, ſi-
 nem ſeruitutis illorum inſtare, ſeq; Mardo-
 cheum alterum fore, qui victis hoſtibus ſi-
 ſis, ſecuritatē Iudaeis praſtaret. Eius ge-
 neris paſſim in Marchia ciuitatibus erant,
 inprimis Francofurti, Stendaliſ, Brande-
 burgi, Berlini, Soltquella, frequentes ha-
 bita-

bitabant. Apud hos omnes gaudium istud in dolorem plena amaritudine perfusum abiit, luctusq; ex festiuitate factus est. Circa quod tempus in Borussia muliercula, cui nomen erat Lapta, decollata vix tantum sanguinis ex toto corpore effudit, quantum vola contineretur, & contagio pestilens tanta cum fœditate sauijt, ut Regiomonti millia XIII. breui admodum interuallo extinguerentur. In alijs etiam locis, quæ minus frequentabantur, similis clades pari strage accepta. Visa tunc est a multis fide dignis in aere fœmina facie lamentabili, totū os lacrymis profusè stillantibus perfundens, easdemq; ambabus manibus abstergens, quæ Ecclesie statum luctumq; ostendere credebatur. Distractæ erant voluntates eorum, qui sedebant ad rerum pub. gubernacula: Caesar armis virisq; instructus militem perpetuum in priorum cædem & damnum alens, edictis minisq; terribat. Aleuilius ingenijs dissidia & certamina de Religione excitata Ecclesiam deformabant, in eam armabant, confir-

mabantq̄, aduersariorum audaciam: Pontificij vim & fraudem astruentes nihil intentatum relinquebant, ut ei quam maxime nocerent, exstirparentq̄, suis telis petitam oppressamq̄. Hinc priuatim lamentationes, publicè querelæ cumulabantur: In multis locis erant vastitates in templis, in multis Maosim Pontificiorum reducebatur, sacra profana reuocabantur, Sphinge Augustana omnia peruadente, uniuersa turbante. Vt autem hoc quoque constet posteritati, quid monstri aluerit partus iste Augustanus, equidem breuiter hoc loco precipua eius capita aspergamus. Tradebat, hominem per inhaerentem iustitiam, qua consistat in fide, spe, & caritate, unà cum Christi merito saluari: Salutis certitudinem dubiam & incertam esse: Dignitatem caritatis mereri delictorum veniam: Ecclesiam visibilem à successione Pontificis Ecclesie pendere: Ecclesiam scripturæ sacræ tanquam magistram præferendam: Habere potestatem extra verbum DEI condendi Canones: Interpretationem scripturæ
pturæ

ptura à potestate, sensu & voluntate Pontificis Romani petendam: Determinationes dissidiorum in religione non secundum verbi diuini regulam, sed Pontificis Romani placita instituendas: Eum esse caput & summum Episcopum in Ecclesia: Sacramenta ex opere operato conferre gratiam & salutem: Septem esse Sacramenta: Infantes carere fide propria: In fidem patrinorum baptisandos: Baptismū infantum ad baptisantis intentionem astringendam: Vnctionem esse Sacramentum: Enumerationem peccatorum necessariam: Satisfactiones pro peccatis a sacrificulo impositas tollere peccata: Transubstantiationem in cœna Domini credendam: Inuocationem Sanctorum defunctorum prodesse viuis & mortuis: Sanctos proprio merito saluari: Missam conferre remissionem peccatorum: Multas præterea ceremonias profanas, ridiculas, & impias sacris affingebat: Aliqua tamen dextrè & sincerè, non pugnantia cum analogia fidei docebat, in eum finem, ne horum præ-

parata degustatione & mellificatione in-
escati reliqua, quæ Pontificias impietates
sapiebant, nauseabundi respuerent: Sed
boni & cordati iudicabant, qui hæc recipe-
ret, perinde facere atq; ille, qui Papatum
omnem approbaret, eandem habere me-
tam, & sub uno vexillo & Imperato-
re militare, nisi forsitan in eo differre vel-
lent, quod alij tyronum, alij Veteranorum
nomine censerentur. In ea confusione so-
licitæ erant piorum cogitationes, inprimis
cùm humanis consilijs cedendo conceden-
doq; deterius haberent Ecclesia. Tandem
DEVS, ad cuius unius curam ista perti-
nent, & cui commendari debebant, exopta-
tum auxilium non in armis aut politica
sapientia ostendit, sed gladium verbi sui
acuens fumos illos ita disiecit, dissipavitq;
ut ipsos auctores eorum pœniteret. Et
excitati primùm Lubecenses, Hamburgen-
ses, Luneburgenses, & Magdeburgen-
ses non minus piè quam fortiter recla-
marunt, quos alij subsequuti sunt. Ham-
burgenses quoque Philippum Melantho-
nem

nem reprehendebant, quod languidius in presenti negotio & dandis consilijs ageret. Sed ijs die XVI. Aprilis respondens, totum se explicat, & gratulatur de libertate, & quod omnia facilliora in auditorio illorū obuenirent, sed inuicem petit, cum semper Ecclesie seruitus alibi sit mitior, alibi durior, ut arumnas seruitutis alienae consolatione sua potius leniant, quam condemnatione perturbent, dummodo fundamentum teneatur. Concordiam igitur & mutuam beneuolentiam præstent, ne inuocatio impediatur, aut tristes & pernitasæ dubitationes ex questionibus non necessarijs oriantur: Illi, quibus libertas minus impedita sit, D E O gratias agant, pieq; utantur ad illustrandam doctrinam: alij in seruitute agnoscant se castigari diuinitus, & veram inuocationem corrumpi non sinant. Sibi quidem videri, prudentiam adhibendā in iudicando, an relinquenda potius sint Ecclesie lupis, aut facienda solitudo, an vero seruitus aliqua toleranda? Auctorem nunquā fore impias ceremonias
M 4 recipi.

recipiendi, nec tamen hortatorem esse posse deserendi sine grauissimis causis Ecclesias. Cordatiore autem ita sentiebant, ea tempora non modestiam, sed confessionem & constantiam requirere. Verum ad se reuersus Philippus, petebat sibi dari veniam, si quid dixisset, scripsisset, & fecisset languidius. Ea confessione bonis omnibus satisfactum, Flacianis autem materiam prae-buit acerbissimis calumnijs perstringendi. Cum igitur non solum à Theologis repudium libro Augustano mitteretur, sed etiam censuris Principum & ciuitatum magno numero subijceretur, Ioachimus Princeps confirmator factus Marchiam eo metu liberatam optatae quieti restituit, quam res & tempora cum Islebio turbauerant. Accepit aliud quoque vulnus Ecclesia, quod in Sueuia & Francia multi palam ad Heluetios desciscerent, eorumq; dogma in re Sacramentaria profiterentur, fortunam doctrinae Lutheranae in Religione ex sua metientes. Quidam in Borussiam abeuntes, humanitatem Alberti Ducis experti

perti, ibi etiam dissidium graue excitau-
runt, quibus facem dux & auctor Andre-
as Osiander praeferebat. Is Noribergensis
erat, & vir omnimoda eruditione, dono-
rumq; & linguarum excellentia, facun-
diq; praestantissimus, ac maxima in pa-
tria cum auctoritate atque gratia docue-
rat. Nimis autem in concepta opinione de-
fendenda pertinax creditus, ut qui à sen-
tentia sua, quam optimam semper statue-
bat, nullis rationibus dimoueri se patere-
tur, quam mira tamen calliditate dissimu-
labat, donec secundis ventis vela opinioni
laxandi commoditatē nancisceretur. Tri-
umphante enim Augustæ Casare de Ger-
mania, cum tempestas longè periculosissi-
ma Ecclesiae doctoribus immineret, insu-
per à Theodoro Vito, quem Norinbergæ col-
legam insolenter fastidiebat, premebatq;
patientia victus, in Borussiam ad Academi-
am Regiomontanam concedens, principem
in ea locum & ordinarij dignitatem bene-
ficio Principis obtinuit. Hic oportunitatem
sibi datam ratus animi sensa apertius ex-

M 5

plicam.

plicandi, plerosq; ex doctis in se concitavit. Theologi tunc erant Ioachimus Morlinus, Petrus Hegemon, Franciscus Stancarus, Georgius Venetus, Fridericus Staphylus, Melchior Isinderus, & Martinus Chemnitius. Hi omnes contradicebant Osiandro. Vnus Iohannes Funcius concionator aulicus, eius causam apud Principem summa ope & studio indefesso promouebat & iuuabat. Fastidito autem & exagitato Philippo nec Lutherum, etsi ex libris illius pro stabiliendo suo dogmate multa confarsisset, in omnibus probabat. In quadam Epistola ad Michaelem Stifelium conqueritur, Philippum sibi obsequijs Lutherum demeruisse, & ita utrumque Theologiam Aristotelicam conflata concocuisse, quae carnem magis quam Spiritum saperet. Initia haec erant dogmatis Osiandrini, quod postea ex Borussia in mediam Germaniam serpere cepit. Nec Pomeraniae status admodum tranquillus erat, Petro Artopaeo Osiandri sententiam palam defendente, non sine dolore bonorum omnium, qui Ecclesi-

as per

as per Doctorem Bugenbadium pulcrè constitutas distrahi ægerrimè ferebant. Ideoq; apud Philippum Principem de Synodo habenda instabant, qua facile impetrata, postquam diligenter cum illo per disputationes & colloquia egissent, ut ad sanuatem rediret, nec tamen admonitionibus locum daret, mandato Principis in exilium Vittebergam abiit, inde fractus ærumnis cum adfirmaret, non amplius dogma istud vel defensurum, vel excusaturum, intercessione Philippi Melanthonis reuocatus est. Qua tempestate in Borussia quidam, qui se pro lupo ambiguo gerebat, capitur. Adductus ab agricolis, quorum oues & pecora dilaniasse ferebatur, ad Albertum Ducem, multis spectaculum præbuit. Homo erat deformi admodum ore, nec multum à feris differebat, vulnera habebat in facie, quæ ex canum morsibus acceperat, cum in lupum mutaretur. Princeps, ut rei veritatem exploraret, in arce diligenter carceri inclusum per certos custodes observari curauit. A quibus interrogatus de natura

tura

*tura Lycanthroporum, aiebat se subito cir-
 ca natalem CHRISTI, & festum Io-
 hannis Baptista, momentanea conuer-
 sione concidere non aliter, atque accideret,
 qui morbo attonito, corriperentur atq; de-
 ciderent mortuis similes, vita atque sen-
 su carenibus, mox efferrari atque cogi im-
 petu quodam natura, ut luporum specie
 pererratis campis & siluis in greges peco-
 rum & armenta, dilaniando quæuis ob-
 uia, aut rapiendo grassaretur. Maximo
 autem languore & horrore affici, prius-
 quam pili erumperent. Et quamuis in
 vinculis teneretur, necesse tamen habere
 sub lupi formam ex ijs longo itinere nihil
 impediens claustris proficisci. Hæc
 tunc ita credebantur, sed cum diu captus
 detineretur, & sedulo obseruaretur, sem-
 per eandem quam initio formam retinuit.
 Certum tamen est, eiusmodi genus lupo-
 rum in illis locis extitisse, & eorum con-
 suetudine & computationibus alios quoque
 homines infectos, ita ut se lupos esse exi-
 stimarent, in eaq; specie contra leges fa-
 cien-*

ciendo, extremas sibi pœnas accerserent. In Saxonia Magdeburgenses nondum in gratiam à Cesare recepti erant, quamuis illam summoperè appetere, & quia in proscriptos nullum non libidinosa iniuriæ genus exerceretur, opproprijs ministri Ecclesie appeterentur, ciues spoliarentur & trucidarentur, commercia denegarentur, commeatus impedirentur, edicta in illos tyrannica proponerentur, coacti & ipsi interdum ex tempore sibi consilia sumere. Castrum est veteris Marchiæ ad Albim Tangermundum, huius incolæ cum quod liberet in Magdeburgenses licere omne putarent, coacta manu in agrum illorum irruunt, & quæ obuia fiebant armenta abigunt: Sed Magdeburgenses cum hoc perindicium accepissent, præda impeditos fugatosq; insecuti, quosdam ex ijs in urbem captiuos adduxerunt, egregieq; multatos ad suos remisserunt. Ab alijs alia & similia tentata occasionem præbuerunt Senatui vicina oppida in suam potestatem & usum perducendi, ut & commeatus essent liberi,

&

& tutiores agri contra inopinatas incur-
 siones hostiles: Istud collegio Canonico-
 rum longè grauißimum acciderat, habi-
 taq; communi ordinum deliberatione acer-
 bissimis querimonijs apud Casarem illos
 accusarunt. Is igitur cum iam dudum
 ægre ferret, illam ciuitatem impunè su-
 am sententiam detrectare, ordinibus Im-
 perij denuò & seriò mandat, ut in proscri-
 ptos bellum suscipiant, simulq; rerum sum-
 ma Maurium Saxonem præesse iubet, &
 huic Ioachimum Electorem adiungit con-
 siliorum socium. Capita accusationis fer-
 mè erant illa: Magdeburgenses quamuis
 sint pro merito suo proscripti, in rebellio-
 ne tamen perseuerant: Homagium præ-
 stare Iohanni Alberto Archiepiscopo recu-
 sant: Canonicos Ecclesie Cathedralis eij-
 ciunt: Canonicos pro Dominis suis non a-
 gnoscunt, & sibi iurare cogunt: bona,
 prædia & oppida Archiepiscopi occupant:
 Canonicorum prouentus & redditus in su-
 um usum & commodum conuertunt:
 Contra Casarem cum proscriptis arma ge-
 runt:

runt: Omnem actionem pacis & concordia respuunt: Aggerem magnis sumptibus exstructum petulanter diruunt: Comites, nobiles, & alios honestos homines armati direptis bonis opprimunt, capiunt, & tormentis subiiciunt: In Casarem, Principes, Electores & Ordines Imperij libellos infames spargunt, auctoribusq; usum officinae typographicae permittunt contra Imperij decreta: Tandem damnum illatum ab illis Canonici octies centenis milibus florenorum aestimabant, seq; in pristinum locum restitui petebant. Ita urbs munitissima graui obsidione ab Imperio cincta L. est. Initium belli a Georgio Megalopyrgensium Principe factum, postea in eiusdem captiuitate desijt. Ioachimus Elector Brandenburgicus suo loco administrationi & copijs eò ab se missis Georgium Blankenburgium, cuius, propter virtutes bellicas egregias, & singularem cum felicitate perpetua Prudentiam, una & eadem in pari fortuna auctoritas apud Marchiones semper fuit, cum imperio praefecit.

Inte-

Interim tamen, etsi non parum detrimenti Marchiae veteri rapinis, impetuq; hostili intulisse putarentur Magdeburgenses, causa quoque alia magni momenti subesset, quae eum impelleret, ut civitati infensor merito esset: nihil tamen eius praese tulit, conservandamq; potius, quam euertendam, sapienter censuit, tanquam arcem tutam, ad quam, vel Turcico Tyranno, vel alio hoste Germaniam ex Orientali plaga infestante, in extrema necessitate confugi & inde repugnari posset, suamq; in eo operam Ludouico Stolbergio internuncio non semel obtulit, ita tamen, ut Caesari atque Imperio suus constaret honor, & illi supplices fieret. Hi autem etsi obsidione premerentur, insuper cladē non leuē auspicijs Ducis Megalopyrgensium accepissent, cum potius de omnibus periclitari, quam in eo consentire, quod priuilegijs libertatiq; suae derogaret, mallēt, pub. emittunt scriptū, docentes, quā bellū hoc iniuriae affine sit, rationesq; rerū explicant, seq; modō res a quo iure disceptetur, ad ulteriores tractatus offerunt.

* * *

Nf 437.

8

ULB Halle


3

004 966 52X



M





Nicolai Leutingeri
DE MARCHIA
BRANDEBURGENSI
eiusque statu, Burggravijs Norin-
bergensibus, S. Romani Imperij
Principibus Electoribus &
Marchionibus Bran-
deburgicis,
COMMENTARII
Pars Secunda.



WITTEBERGAE,
Excudebat *Matthaeus Welack.*
Anno M. D. LXXXVIII.

